CODEX POENALIS

PRO

GALICIA OCCIDENTALI.



VIENNAE

TYPIS JOSEPHI HRASCHANZKY, Cæs.
Reg. Aulæ Typogr. Bibliop.

1796.

Nos Franciſcus Secundus Dei Gratia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Galiciæ, & Lodomeriæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ & Lotharingiæ, Magnus Dux Hetruriæ &c. &c.

Galiciæ occidentalis imperium aſſumentes præcipuam attentionem Noſtram eo direximus, ut hæc quoque provincia talibus inſtrueretur legibus, quarum ope delicta communi omnium tranquillitati & ſecuritati adverſantia inveſtigentur & puniantur, verumtamen unusquisque ab incuſationi-

bus fundamento deſtitutis præmuniatur, & reus ipſe nonniſi a judice competente, prævia inquiſitione ad normam legis accommodata, ex legitimis probationibus condemnetur, ita ut pœna ejus tantum ex lege, nunquam pro arbitrio decernatur.

Hæc ſpectantes præſentem Codicem pœnalem pro Galicia occidentali vulgamus, atque mandamus, ut is a prima Januarii 1797. pro hacce provincia univerſim obligandi vim & effectum habeat, quoniam ab hoc inde tempore omnes leges priores, quæ delicta, eorumque pœnas, modumque circa ea in foro procedendi concernunt, abrogatas declaramus.

Præ-

Præcipimus quoque, ut in cauſſis pœnalibus ſeu jam nunc pendentibus, ſeu ante mox memoratum terminum obventuris præſens codex jam ab hocce publicationis tempore eatenus pro norma ſumatur, quatenus ad illius præſcriptum cauſſa leniorem, quam per leges hucuſque vigentes, ſortiri deberet exitum.

Similiter delicta ante hanc publicationem patrata, quæ poſt ſupra dictum terminum in inquiſitionem judicialem trahentur, eatenus ſolum ex priſtinis legibus dijudicari poterunt, quatenus fors illæ mitiorem ſententiam exigerent.

Datum Viennæ die 17ma menſis Junii anno mileſimo ſeptingenteſimo nonageſimo ſexto, Regnorum noſtrorum quinto.

Franciſcus.

(L.S.)

Procopius Comes Lazanz

Reg^{is} Boh^{iæ} Sup^{us} & A. A. pr^{mus} Canc^{ius}

Ad Mandatum Sacræ Cæs^{o}.
Regiæ Majeſtatis proprium.
Lepoldus de Haan.

PARS I.

De delictis, eorumque pœnis.

CAPUT I.

De delictis in genere.

§. 1.

Quælibet legis violatio animadversioni obnoxia est. Ut delicta vero eæ tantum legibus contrariæ actiones & omissiones reputari possunt, quæ hoc codice delicta esse definiuntur.

§. 2.

Delicta pro ea, qua statum securitatis & tranquillitatis publicæ lædunt, relatione in criminalia, & civilia dividuntur.

§. 3.

Sub recepta delictorum criminalium denominatione ea comprehenduntur, quæ ob majus, quod inferunt, detrimentum, gravioribus poenis ſubsunt.

§. 4.

Tanquam civilia delicta ea imputantur, quæ quidem ad ſuperius delictorum genus accedunt, attamen ex natura ſua mitiori poenæ locum relinquunt.

§. 5.

Aliæ transgreſſiones, prout eæ, vel conſtitutiones politicas, vel ordinationes circa publicos reditus, vel leges civiles violant, ſecundum normas deſuper ſpecialiter vigentes & per munera publica pro diverſo reſpectu ad id deſignata tractentur.

§. 6.

Ad delictum requiritur malum propoſitum, & libera voluntas.

§. 7.

Mali autem propoſiti non tantum is reus eſt, qui vel ante vel in ipſa commiſſione vel omiſſione malum exinde ortum præmeditatus eſt, atque decrevit, verum etiam ille, qui ex alia mala intentione aliquid commiſit aut omiſit, unde malum tale plerumque ſequi ſolet aut ſaltem facile evenire poteſt.

§. 8.

Actio, vel omiſſio e contrario ut delictum imputari nequit, ſi

a.) malum ex ignorantia, negligentia, aut caſu fortuito ortum eſt.

b.) Si delinquens uſu rationis plene deſtituitur,

c.) ſi actio a mente capto, cui ſunt lucida intervalla, durante delirio, vel

d.) in fortuita, citra intentionem ad delictum contracta, plena ebrietate, aliaque ſenſuum perturbatione, ob quam de-

linquens facti ſibi conſcius non erat, perpetrata eſt;

e.) ſi delinquens decimum quartum ætatis annum nondum explevit;

f.) ſi actio vi, cui nullo modo reſiſti poterat, extorta eſt;

g.) ſi talis intervenit error, ſine quo actio licita fuiſſet.

§. 9.

Cum delictum ex malitia delinquentis oriatur, nequaquam vero ex ejus, in quem commiſſum fuit, habitu & circumſtantiis, delicta etiam in malefactores, mente captos, infantes, dormientes, immo in tales etiam perſonas committuntur, quæ ipſæmet, ut damno adficiantur, deſiderant.

§. 10.

Delicti reus eſt non ſolum immediatus delicti auctor, ſed & quilibet, qui libere & ex propoſito juſſu, ſuaſione, laudatione, inſtructione delicto anſam dedit, il-

lud

lud inſtituit, promovit, ad id perpetrandum ſuppeditando media aut removendo impedimenta, aut quacunque ratione auxilium præſtitit, vel ad certiorem ejusdem executionem quidquam contulit, vel ſaltem cum ipſo delinquente de præbenda ei poſt patratum delictum ope, aut ſuper parte lucri, & emolumenti exinde capienda prævie convenit.

§. 11.

Qui vero abſque prævia conventione poſt perpetratum demum delictum opem, auxiliumque præbet, aut e noto ſibi facinore lucrum, commodumque percipit, is ſe quidem non ejusdem, attamen peculiaris delicti reum facit, quemadmodum id ſubſequenter in præſenti codice determinabitur.

§. 12.

Ad delicti imputationem haudquaquam neceſſe eſt, ut factum conſummetur. Maleficii adtentatio jam ipſum de-

lictum

lictum eſt, ſimul ac malo quis animo actionem ad ejus executionem tendentem ſuſceperit; etſi delicti conſummatio ob impotentiam illud adtentantis, aut aliunde interveniens impedimentum, aut fortuitum ob caſum intermiſſa fuerit.

§. 13.

De cogitatis, aut interno propoſito, ſi mala actio externa haud commiſſa, nec quidquam eorum, quæ leges exigunt, omiſſum fuerit, nemo ad rationem reddendam vocari poteſt.

§. 14.

Iis in caſibus, in quibus juxta §. 8. actio quædam mala ab ebrio vel impubere commiſſa, delicti quidem imputationem habere nequit, politicæ tamen auctoritatis erit, ſeveris, attamen congruis mediis providere, ut tam ebrioſi, quam improbæ ac neglectæ proles ad meliora reducantur.

§. 15.

§. 15.

Cum hoc in codice ejusmodi tantum actiones aut omiſſiones pro delictis declarentur, quarum a recto aberratio ipſo naturæ lumine facile dignoſci poteſt, nemo ſeſe eo, quod leges has ignoraverit, a delicto excuſare poterit.

CAPUT II.

De Pœnis delictorum in genere.

§. 16.

Nonniſi legitimi judicis eſt, de punitione delinquentis cognoſcere.

§. 17.

Judex pœnam accurate ſecundum legem decernat. Sub gravi animadverſione ei inhibitum eſt, pœnam aliter vel exacerbare, vel mitigare, ac id lex pro delicti & delinquentis qualitate permittit. Sed nec aliud pœnæ genus, quam quod præſenti codice definitum eſt, decernere,

nere, nec poenam ob tranſactionem inter delinquentem & læſum initam remittere unquam valet.

§. 18.

Si delinquens poenam, licet a judice incompetenti ad præſcriptum legis tamen decretam, jam ſubivit, ob idem facinus nulla ei amplius poena infligenda eſt. Aſt in quovis caſu, quo juſto gravior irrogata fuiſſet, eam a judice competente, quantum fieri adhuc poteſt, ſecundum legis normam temperari oportet.

§. 19.

Delictum a ſubdito hujate in extera ditione patratum, ſiquidem delinquens in hisce provinciis deprehenſus fuerit, ſecundum tenorem præſentis legis punitor, ſine reſpectu ad illius loci leges, in quo delictum admiſſum fuit.

§. 20.

Peræque contra extraneum in hujate territorio delinquentem unice ſecundum præſentem codicem judicator.

§. 21.

Delicta ab extero in exteris regionibus commiſſa, hujati autem ſtatui publico perniciosſa juxta præſentis codicis præſcriptum dijudicentur; ad ea vero, quæ publicam rem harum ditionum non offendunt, codex iſte pœnalis adplicandus quidem non eſt, quin tamen ideo neceſſaria excludatur cautela, quæ exigere poteſt, ut periculoſus hujuscemodi homo inquiſitioni ſubjiciatur & civitate excedere jubeatur, vel ſi delictum ex hoc codice, criminale foret, cum civitate extera, in qua deliquit, de ejus extraditione tractetur, generatim denique id omne adhibeatur, quod mutuum gentium auxilium ad reprimenda delicta poſtulat.

§. 22.

Pœna delictorum eſt mors delinquentis, vel ejusdem in carcere detentio.

§. 23.

Poena mortis laqueo in patibulo executioni mandanda eſt. Cadaver puniti elapſis duodecim horis juxta locum ſupplicii inhumator.

§. 24.

Pœna carceris pro graduum diverſitate in ſeveriſſimam, duram, & mitiorem dividitur.

§. 25.

Pœna ſeveriſſimi carceris talis eſt: Delinquens in ſeparato carcere, in quo illi non niſi tantum ſpatii & lucis uſuræ conceditur, quantum neceſſe eſt, nullo non tempore gravibus catenis manibus, pedibusque, nec non ferreo circulo circa corpus ducto, quo extra tempus laboris catenis illigatur, vinctus cuſtoditur; ternis duntaxat per hebdomadem vicibus uno

cocto cibo, excepta tamen carne, nutritur; ceteris vero diebus nullum ipſi alimentum præter aquam & panem conceditur; lectus ipſius ad nudos aſſeres reſtringitur; denique & omnis ei cum quocumque demum converſandi & colloquendi facultas denegatur.

§. 26.

Ad duros carceres condemnatus minus gravibus compedibus vincitur, & quotidie uno cocto cibo, nec tamen carne, nutritur; quoad lectum vero, & interdictum cum perſonis ad immediatam ipſius cuſtodiam non pertinentibus colloquium, æque ac in priori carceris genere tractatur.

§. 27.

Ad mitiores carceres condemnatus absque compedibus ita tamen, ut fugæ periculum abſit, cuſtoditur, eidemque aliquantum melius, quam priori, alimentum præſtatur. Nullus attamen ei præter aquam potus admittendus, nullus item,

ni carceris custos præsens adsit, cum aliis congressus, nullumque in lingua custodi ignota colloquium concedendum est.

§. 28.

Delinquens vel ad dies vitæ, vel ad certum tempus carcere coercetur. Infima carceris temporarii poena, mensem, summa viginti annos durat. Propior determinatio inferius cuique delicti speciei adnectetur.

§. 29.

Cum poena carceris semper quoque præstatio operarum conjuncta est. Quamobrem ad carcerem damnatus eas tenetur operas perficere, quæ pro instituto cujuslibet loci, ubi poena subeunda est, præscriptæ sunt. Cura porro danda est, ut in his ædibus, ad plectendos facinorosos destinatis, rei ea ratione ad duriores labores adigantur, qua ad severiorem carceris poenam condemnati sunt.

§. 30.

Pœna carceris exaſperari poteſt

a.) operis publicis,

b.) expoſitione ad infamem cataſtam,

c.) fuſtium & virgarum ictibus,

d.) jejunio.

§. 31.

Ad publicas operas nonniſi delinquentes ſexus maſculini condemnari poſſunt, & cum hæ nonniſi in vinculis peragendæ ſint, hinc tantum poenæ duri aut duriſſimi carceris adjungi queunt.

§. 32.

Expoſitio ad infamem cataſtam ſic fiet: Condemnatus gravibus catenis manibus pedibusque vinctus inter excubias in ſpatioſo, frequentioris populi recipiendi capaci, loco ſuper machina paulo altius exſtructa, tribus continuis diebus integra ſemper hora publico ſpectaculo exponitur, & tam delictum, quam poena definita in pendente ante pectus tabula

breviter ac conſpicue indicatur. Hæc exacerbatio in iis duntaxat caſibus locum obtinet, ubi ea vel expreſſe lege præſcribitur, vel poena, cui ea adjicitur, carcer ſaltem decennis eſt.

§. 33.

Fuſtium ictibus plectuntur maſculi adulti, virgarum ictibus mulieres & adoleſcentes, qui nondum decem & octo annorum ſunt. Caſtigatio hæc durante poena ſæpius iterari poteſt. Numerum ictuum, ac reiterationem judex prudenti arbitrio dijudicabit, reſpiciendo gravitatem delicti, malitiam delinquentis, nec non corporis conſtitutionem. Una eademque vice centum ad ſuummum ictus delinquenti infligi poſſunt. Executio intra muros loci poenæ peragenda eſt.

§. 34.

Dura, aut mitior carceris poena jejunio exaſperari poteſt, ita, ut delinquenti certis diebus nihil præter aquam,

& panem in alimentum præbeatur; quod tamen non ultra quatuor per hebdomadem dies extendi poteſt.

§. 35.

Generales ſententiæ pænalis in delinquentem criminalem latæ effectus ſequentes ſunt :

a.) Quiſque officium aliquod publicum gerens & criminalis delicti reus declaratus, vigore hujus legis officio ſuo privatum ſe ſciat.

b.) Delinquens ad ſeveriſſimum aut durum carcerem condemnatus a die publicatæ ſibi ſententiæ & durante poenæ tempore nec obligationem inter vivos contrahere, nec per actus ultimæ voluntatis diſponere poteſt. Aſt qui præceſſerunt actus aut diſpoſitiones per pœnam valore ſuo non deſtituuntur.

c.) Si delinquens ad ſeveriſſimos, vel duros carceres condemnatus nobilis eſt, ſententiæ additor, eum omnia

jura nobilitatis, quæ ſecundum conſtitutionem harum provinciarum hereditariarum obtinent, pro ſua perſona amittere. Hæc igitur jactura in ſolum duntaxat delinquentem cadit, neutiquam autem in uxorem ſuam, aut procreatas ante latam ſententiam proles.

d.) Si propter delictum criminale ad pœnam damnatus de numero ſtatuum provincialium dinaſtialis aut equeſtris ordinis, ſi membrum albo alicujus univerſitatis, vel lycei adſcriptum, vel perſona militaris fuerit, quæ ex ſtatu militari retenta eadem dignitate ad officia civilia tranſivit, talis una expunctionem ex matricula ſtatuum vel univerſitatis, vel amiſſionem dignitatis militaris incurrit.

§. 36.

Si judex merito ſuſpicatur, condemnatum perſoluta pœna ſe denuo delicto daturum, ſique ejus proſcriptio e loco delicti pro apto ad id præcavendum medio

habetur, judex de ejusmodi proſcriptione cum politica auctoritate conferat.

§. 37.

Sed & relegatio generalis, attamen nonniſi contra exteros delinquentes, locum habere poteſt. Hæc ſemper ad omnes provincias, quibus hic codex præſcribitur, extendenda eſt, eique, ſi valde periculoſa fuerit delinquentis conditio, ſtigmatis impreſſio adnecti poteſt, quæ ea ratione perficitur, ut ſiniſtræ concavi corporis parti litera R. cum litera initiali provinciæ, in qua ſententia pronuntiata fuit, conſpicuo atque indelebili modo inuratur.

§. 38.

Si delinquens plurium diverſi generis delictorum reus fuerit, pœnam relate ad id delictum, in quod lex ſeverius animadvertit, habita ſimul reliquorum delictorum ratione, emetiri oportet.

§. 39.

Quemadmodum reatus ita & ipſa pœna perſonam tantum delinquentis tenere poteſt.

§. 40.

Pœna delinquenti illata jura eorum non minuit, qui per delictum læſi, damnumque paſſi fuerunt, quibus porro ſatisfactio, aut indemnitas a delinquente, ab ejus hæredibus, aut ex ejus patrimonio præſtanda eſt.

CAPUT III.

De diverſis delictorum ſpeciebus.

§. 41.

Delicta vel immediate commune vinculum ſocietatis civilis afficiunt, vel mediate eidem per id noxia evadunt, quod perſonam, bona, libertatem, famam, aliaque ſingulorum civium jura lædant, bonosque mores corumpant.

§. 42.

Hinc pro delictis declarantur:

1.) Perduellio.

2.) Seditio, ac tumultus.

3.) Vis publica.

4.) Reverſio proſcripti.

5.) Abuſus poteſtatis ſeu muneris publici.

6.) Chartarum publicarum adulteratio.

7.) Falſificatio monetæ.

8.) Religionis turbatio.

9.) Stuprum violentum, aut alia turpis libido.

10.) Homicidium.

11.) Abortus procuratio.

12.) Expoſitio infantum.

13.) Vulneratio, aliave corporalis violatio.

14.) Duellum.

15.) Incendium.

16.) Furtum, & aliæ amotiones.

17.) Rapina.

18.) Falſum.

19.) Bigamia.

20.) Calumnia.

21.) Subſidium delinquentibus præſtitum.

CAPUT IV.

De crimine perduellionis.

§. 43.

Crimen perduellionis incurrit:

a.) Qui perſonalem ſummi Principis ſecuritatem lædit;

b.) qui tale quidpiam ſuſcipit, quod violentam ſtatus publici revolutionem, inductionem aut augmentum periculi ab extrinſecus contra civitatem pro fine habet; ſive illud palam fiat, ſive in ſocietatibus ſecretis, aut etiam a ſingulis perſonis, molimine, conſilio, facto proprio, armata, vel inermi manu, communicatis ſecretis, conſiliisque in talem finem tendentibus,

con-

concitatione, conductione, exploratione, consociatione, adjumento, vel quacumque demum alia eo tendente actione.

§. 44.

In poenam delicti hujus criminalis, etsi attentatum tantum, nec ullum inde damnum secutum fuerit, mors, delinquenti laqueo infligenda, statuitur.

§. 45.

Qui conatum, in crimen perduellionis tendentem, in suo progressu, dum facile, ac citra proprium periculum impedire poterat, consulto avertere intermittit, complicem semet ejusdem delicti reddit, & carcere severissimo ad dies vitae puniendus est.

§. 46.

Pro complice is etiam habendus est, qui notum sibi criminis perduellionis reum potestati superiori denunciare animo praemeditato intermittit. Talis complex duro carcere ad dies vitae punitor. Eo solum-

modo caſu, quo ſe certum ac convictum habere poterat, non obſtante denuntiationis omiſſione nullum amplius metuendum eſſe malum conſectarium, pœna ad durum carcerem a quinque uſque ad decem annos reſtringitor. Porro eadem hæc convictio tantum conſanguineis delinquentis in linea aſcendente, & deſcendente, fratribus ac ſororibus ejus, nec non conjugi eatenus præſidio eſſe poteſt, ne ob intermiſſam denuntiationem in pœnam incidant.

§. 47.

Qui procaci vituperio ſive dictis, ſive ſcriptis, ſive aliis repræſentandi modis in publicum prolato anſam præbet, ut animi civium adverſus formam regiminis, adminiſtrationem publicam, aut normam nexus civilis concitari poſſint, is ob ejusmodi perturbationem tranquillitatis publicæ, qua delicti criminalis reus duro carcere a

quin-

quinque uſque ad decem annos puniendus eſt.

§. 48.

Qui ſecretas in puncto 2. §. 43. (b) commemoratas ad crimen perduellionis tendentes adſociationes ingreſſus quidem, attamen poſtea pœnitentia ductus, earundem membra, horum ſtatuta, intentiones, ac conatus, poteſtati ſuperiori eo adhuc tempore, dum latebant, & damnum præpediri poterat, manifeſtaverit, huic omnimoda impunitas, & factæ ab eo denuntiationis occultatio hiſce promittitur.

CAPUT V.

De ſeditione et tumultu.

§. 49.

Coalitio plurium perſonarum eum in finem tendens, ut poteſtati ſuperiori reſiſtant, eſt criminale ſeditionis ac tumultus de-

delictum, ſive ea ſit reſiſtentium intentio, ut aliquid vi extorqueant, vel ut impoſita obligatione ſe expediant, vel cujuscumque demum generis diſpoſitionem ſuperiorum evertant: nec intereſt, num in ipſum ſuperiorem, num in ejus officialem, vel in inferiorem miniſtrum aut in communitatis præfectum, qui ad mandata exequenda deſtinati ſunt, vis hujuscemodi exerceatur.

§. 50.

Quisque factionis conſors delicti hujus reus fit, ſive ſe, dum oriretur, ſive in progreſſu conſociaverit.

§. 51.

Qualis pœna ſumenda ſit, ſi eo excreverit ſeditio, ac tumultus, ut judicio ſtatario comprimi debeat; id peculiari de judicio ſtatario capite tractabitur. Quod ſi judicio ſtatario haud opus fuerat, concitatores ac duces ad duros carceres cum operis publicis a decem usque ad viginti

an-

annos, aut ſi malitiæ, ac vis nocendi ſummus fuerit gradus, etiam ad dies vitæ condemnandi ſunt.

§. 52.

Qui adventantibus ad ſedandum tumultum officialibus aut vigiliis refragari pergunt, ii dura carceris pœna a quinque uſque ad decem annos & operis publicis plectuntor.

§. 53.

Ceteros complices habita ratione periculoſæ & pernicioſæ indolis, & pro modo participationis pœna duri carceris ab uno uſque ad quinque annos cum publicis operis manet.

§. 54.

Si ſeditio in ſuis principiis citra periculoſam eruptionem ſedata fuerit, pœna carceris mitioris, & in concitatores quidem ac coryphæos ab uno usque ad quinque annos, in reliquos vero a tribus menſibus uſque ad unum annum decernenda eſt.

CA-

CAPUT VI.

De vi publica.

§. 55.

Criminalis vis publicæ delicti ſequentes ſunt caſus:

§. 56.

Primus caſus: Si quis utut ſolus judici, aut ſuperiorem quamdam poteſtatem habenti, ejusve ablegato, in rebus officii vigiliis, aut apparitori magiſtratualia juſſa executuro, periculoſa comminatione, aut violenta manu reſiſtit, etiamſi id ipſum abſque vulneratione accideret.

§. 57.

Talis delinquens duro carcere ab uno menſe uſque ad unum annum cum operis publicis, ſi vero armata manu reſtitit, aut læſio, vel vulneratio acceſſit, ab uno usque ad quinque annos puniendus eſt.

§. 58.

§. 58.

Secundus casus: si posthabita legitimi superioris imploratione pacifica cujuspiam in fundo suo proprio possessio coadunatis hominibus violenta invasione turbatur; si irruptio in domum, vel habitationem alterius armata manu, quamvis citra catervam, fit, ibidemque personae ejusdem, ipsius domesticis, vel bonis vis infertur, sive illud ad injuriam, quam sibi quis illatam putat, vindicandam, sive ex odio, sive juris cujuspiam putativi persequendi aut promissionis consequendae aut remedii probationis extorquendi caussa fiat.

§. 59.

Vis hujuscemodi auctor poenae duri carceris ab uno usque ad quinque annos subjacet. Qui se ad auxilium praestandum induci passi sunt, mitiori carcere a tribus mensibus usque ad unum annum puniuntor.

§. 60.

Aliæ malitioſæ actiones, quibus res alienæ corrumpuntur aut deſtruuntur pro civilibus delictis habentor, ac ſecundum menſuram malitiæ & damni dati duro aut mitiori carcere ab uno menſe uſque ad unum annum vindicantor.

§. 61.

Tertius caſus: ſi quis abſque prævia legitimi ſuperioris notitia, atque conceſſione hominem dolo, vel vi eo fine in ſuam poteſtatem redigit, ut eum invitum ſive extraneæ, ſive etiam intra territorii limites illegitimæ poteſtati dedat.

§. 62.

Hoc caſu pœna duri carceris a quinque uſque ad decem annos ſtatuitur, quæ ad viginti etiam annos prorogari poteſt, ſi interceptus de vita aut libertate recuperanda periclitabatur.

§. 63.

§. 63.

Qui militem pro alieno exercitu legit, aut virum ad noſtrates copias pertinentem ad domicilium in extera civitate collocandum conducit, ad normam legum militarium, & a militari tantum foro judicator, atque punitor.

§. 64.

Qui data opera in id incumbit, ut ſubditos noſtrates ad domicilium in exteris regionibus figendum inducat, civilis ſe delicti reum reddit.

§. 65.

Pœna hujus eſt mitior carcer ab uno menſe uſque ad unum annum.

§. 66.

Quartus caſus: ſi quis hominem, in quem nulla ſibi per leges poteſtas competit, & quem pro delinquente, ſeu pro noxio ac periculoſo homine habendi fundamento deſtituitur, propria auctoritate incluſum detinet, vel quacumque demum

ratione eum in uſu perſonalis ſuæ libertatis turbat, aut etiam, ſi interceptionem, quam ex juſta cauſſa feciſſe ſibi videtur, competenti ſuperiori illico indicare conſulto intermittit.

§. 67.

Pœna delicti hujus eſt mitior carcer ab uno menſe uſque ad unum annum. Si autem detentio ultra triduum duraverit, vel detento damnum, aliave moleſtia præter ademtionem libertatis illata fuerit, pœna duri carceris ab uno uſque ad quinque annos obtinere poteſt.

§. 68.

Quintus caſus: ſi femina invita vi dolove matrimonii cum ea ineundi, aut vagæ libidinis cauſſa rapta fuerit, aut ſi mulier viro juncta, quamvis conſentiens, marito ſuo, proles parentibus ſuis, pupillus tutori, aut nutritori dolo vel vi ſubducuntur; nec refert, num finis uno alteroque caſu obtentus fuerit, nec ne.

§. 69.

§. 69.

Raptus in invitam perſonam aut in impuberem comiſſus pro varietate mediorum adhibitorum, ſecutique mali, duro carcere quinque annorum uſque ad decem, ſin perſona rapta pubes ac conſentiens fuerit, duro carcere trium menſium uſque ad annum vindicator.

CAPUT VII.

De reverſione proſcripti.

§. 70.

Si quiſpiam ex provinciis, ad quas hic codex pertinet, relegatus in quampiam harum provinciarum, qualicumque ſub prætextu revertitur; hæc ejus reverſio criminale delictum involvit.

§. 71.

Talis delinquens ad infamem cataſtam exponitor, ac duro a tribus menſibus uſ-

que ad unum annum carcere punitor. Si ex hoc delicto jam punitus fuerat, poena exaſperator, vel exaſperatio duplicator.

§. 72.

Ex determinato quopiam loco proſcriptus, ſi eo revertitur, pro delinquente civili habetor, ac mitiori carcere ab uno menſe uſque ad unum annum punitor. Adverſus eum, qui iterum deprehenditur, poena exaſperanda eſt.

CAPUT VIII.

De abuſu poteſtatis ſeu muneris publici.

§. 73.

Qui ſuperiore poteſtate vi officii ſibi concredita eo abutitur, ut damnum cuipiam inferat, is ſive proprii commodi ſtudio, ſive alio affectu aut fine moveatur, per ejusmodi abuſum delicti criminalis reus evadit.

§. 74.

Idem delictum committit :

a.) Judex, qui favori perſonali indulgens ſe a legitimo officii ſui implemento averti ſinit;

b.) Quiſque officialis, qui in rebus officii falſum præſtat teſtimonium ;

c.) Qui concreditum ſibi officii ſecretum maligne detegit, vel curæ ſuæ vi officii commiſſum documentum deſtruit, ſeu cuipiam contra muneris ſui partes impertitur ;

d.) Advocatus, qui in præjudicium ſui proprii clientis, adverſarium in conficiendis ad litem ſcriptis, vel aliter conſilio, & facto adjuvat.

§. 75.

Pœna criminalis hujus delicti eſt durus carcer ab uno uſque ad quinque annos. Hæc pro menſura malitiæ, damnique etiam ad decem annos prorogari poteſt.

§. 76.

Officialis publicus, qui officium quidem ſuum, ut fas eſt, adimpleverit, attamen ut illud adimpleret, donum ſeu immediate ſeu mediate acceptaverit, aut aliud ſibi commodum comparaverit, delictum civile incurrit.

§. 77.

Talis delinquens civilis mitiori carcere ab uno menſe uſque ad unum annum puniendus eſt.

§. 78.

Si quis promiſſione, dono, aliisve aſtutis modis favorem judicis ſibi conciliare, vel ſuperiores ad violationem officii permovere conatur, delicti civilis per talem ſeductionem reus evadit, ſive intentio hæc in proprium, ſive in tertii cujuspiam commodum directa, ſucceſſumque ſortita fuerit, ſive minus.

§. 79.

Pœna ſeductionis hujus communiter eſt mitior carcer ab uno menſe uſque ad unum annum.

§. 80.

Sin magna adparet verſutia, & grave damnum datum fuit, ſeductio talis ut delictum criminale imputanda, ac duro carcere, qui uſque ad quinque annos prorogari poteſt, punienda erit.

CAPUT IX.

De adulteratione chartarum publicarum.

§. 81.

Qui publicas ærarii chartas, quæ vel per ſe tantundem ac parati numi valent, vel ad quarum exhibitionem publicum quoddam ærarium ſolutionem præſtare tenetur, effingere imitando auſus fuerit, ſeu res e voto proceſſerit, ſeu non, ſive ex

facto hoc ærario, aut tertio alicui damnum illatum fuerit, ſive non, ſive dein adulteræ iſtiusmodi publicæ chartæ noſtras, aut exterum ærarium concernant, is delictum criminale adulterationis chartarum publicarum committit.

§. 82.

Delicti hujus criminalis is quoque reus eſt, qui genuinas in ſe publicas chartas majorem iis, ac revera, dum confectæ ſunt, continebant, inſcribendo ſummam vitiat; nec intereſt, an facilis, vel difficilis ſit detectu adulteratio, damnum inde ſecutum fuerit, nec ne.

§. 83.

In delictum iſthoc in caſu §. 81. ad dies vitæ, in caſu vero §. 82. a decem uſque ad viginti annos duri carceris pœna ſtatuitur; hæc, prout agravantes magis & inſignis momenti circumſtantiæ delictum comitantur, exaſperanda eſt.

§. 84.

Quidquid de criminali hocce delicto ejuſque pœna hic ordinatum eſt, contra eos etiam obtinet, qui ſolitas in publicis chartis ſubnotationes imitantur, inſignia incidendo effingunt, papyrum, formas, matrices, literas, prela denique, aut quidcumque aliud ad chartas publicas adulterandas aptum conficiunt, idque falſario ad falſificationem adjuvandam ſcientes tradunt, vel conficere, aut tradere adtentant, vel quacumque demum ratione ad adulterationem contribuunt.

§. 85.

Conſors criminalis delicti adulterationis chartarum publicarum is eſt, qui de eroganda falſa aut adulterata charta publica cum eo convenit, qui ad eam falſificandam operam contulit.

§. 86.

§. 86.

Hic consors a quinque usque ad decem annos, & quum gravius damnum datum fuerit, usque ad viginti annos duro carcere coercendus est.

CAPUT X.

De crimine falsæ monetæ.

§. 87.

Delictum criminale falsæ monetæ committit ille, qui

a.) propria auctoritate monetam ad imaginem currentis in ditionibus austriacis monetæ ferit, etsi forte ea genuinam monetam probitate simul ac pondere exæquet, aut eam plane superet; aut

b.) ad imaginem ubicumque demum currentis monetæ seu ex probo ære leviorem, seu e viliori metallo adulterinam monetam cudit, aut quacumque alia ra-

ti-

tione improbam monetam probæ pecuniæ ſimilem reddit; vel

c.) genuinas monetæ ſpecies quoquo demum modo in intrinſeco pretio ac valore, quo cuſæ fuerant, imminuit, vel illis formam earum monetæ ſpecierum, quæ majoris ſunt valoris, indere conatur; vel

d.) inſtrumenta ad conficiendas falſas monetas ſubminiſtrat, vel quocumque demum alio modo ad monetæ adulterationem concurrit.

§. 88.

Pœna delicti hujus criminalis eſt durus carcer a quinque uſque ad decem, ſique ſingulare periculum vel grave damnum accedit, a decem uſque ad viginti annos. In eo duntaxat caſu, quo adulteratio unicuique in ſenſus cadit, vel moneta propria auctoritate cuſa genuinam probitate, ac pondere exæquat, pœna ab uno uſque ad quinque annos irrogari poteſt.

§. 89.

§. 89.

Ut complex adulterationis monetæ in delictum criminale incidit is, qui ex compacto cum adulterationis auctore aut opitulatore curam de eroganda falſa moneta in ſe ſuſcipit.

§. 90.

Hic conſors poenam duri carceris ab uno uſque ad quinque, & graviori damno dato, uſque ad decem annos incurrit.

CAPUT XI.

De turbatione religionis.

§. 91.

Turbatione religionis is delicti reus fit,

a.) qui dictis, ſcriptis, aut factis deum blaſphemat;

b.) qui aliquod in civitate ſubſiſtens religionis exercitium turbat, aut contumelioſa rerum cultui divino dicatarum viola-

ti-

tione, aut alias etiam factis, dictis aut ſcriptis contemtum religionis publice manifeſtat;

c.) qui chriſtianum ad fidem chriſti deſerendam ſeducere audet;

d.) qui irreligionem propagare, vel erroneam quampiam chriſtianæ religioni adverſam doctrinam diſſeminare, aut ſectas fundare conatur.

§. 92.

Religionis turbatio in criminale delictum abit, ſi ea publicum ſcandalum datur; ſi ſeductio ſubſecuta aut commune periculum conjunctum fuerit.

§. 93.

Delictum hoc criminale duro ab uno uſque ad quinque annos, pro ratione vero majoris malitiæ ac periculi ad decem etiam annos prorogando carcere vindicator.

§. 94.

§. 94.

Ubi circumſtantiæ §. 92. memoratæ non interveniunt, turbatio religionis qua delictum civile pertractanda, ac mitiori carcere ab uno menſe uſque ad unum annum punienda erit.

CAPUT XII.

De ſtupro violento, aliaque turpi libidine.

§. 95.

Qui feminam periculoſa comminatione, illata vi, aut fraudulenta ſenſuum ejusdem perturbatione, nefandæ ſuæ libidini reſiſtendi poteſtate privat, eamque in tali ſtatu vitiat, delictum criminale ſtupri violenti committit.

§. 96.

Pœna ſtupri violenti ſit durus carcer a quinque uſque ad decem annos. Aſt ſi violentia in grave detrimentum ſanitatis,

aut

aut ipsius vitæ personæ vitiatæ redundat, pœna a decem in viginti annos augenda erit.

§. 97.

Quævis attentata violatio, quæ in personam nondum quatuordecim annos natam committitur, stupri violenti instar habetor, atque punitor.

§. 98.

Delictum turpis libidinis is quoque incurrit:

I. Qui se cum pecude, aut cum persona ejusdem sexus miscet.

II. Cognati in linea ascendente, ac descendente, sive cognatio eorum e legitimo, sive illegitimo coitu oriatur, fratres, & sorores, seu germani, seu consanguinei, atque uterini, parentum, liberorum, fratrum, sororumque conjuges, incestum committentes, & ii, cum quibus incestum committunt.

III. Perſona matrimonio juncta adulterium committens, prout & perſona cælebs, quacum adulterium perpetratur;

IV. Corporis quæſtum mercenarie ſectantes.

§. 99.

Primo in caſu, prout etiam tum, cum inceſtus in linea aſcendente & deſcendente commiſſus fuerit, turpis libido criminale delictum evadit, & duro carcere a tribus menſibus uſque ad unum annum punienda eſt.

§. 100.

Ceteris in caſibus tanquam delictum civile mitiori carcere ab uno menſe uſque ad unum annum punitor. In determinando autem longiori tempore, aut exaſperatione poenæ, ſeductionis, datique ſcandali ratio habenda eſt.

§. 101.

Porro ob adulterium durior pœna de muliere quam de viro ſumenda eſt, ſi de ſubſecuto partu, an legitimus ſit, dubium oriri poteſt.

§. 102.

In adulterium tamen ex officio nunquam, verum tum demum inquiri, ac pœna irrogari poteſt, cum a conjuge læſo id ipſum expreſſe poſtulatum fuerit. Sed & hic id ipſum poſtulare ultra nequit, ſimul ac offenſam, de ea certior factus, ſeu expreſſe, ſeu continuando coitum conjugalem remiſerit. Ceſſat porro pœnæ in adulterum conjugem decretæ executio, quamprimum pars læſa eum recipere, ſeque cum eo in conjugali conſortio vivere velle, declaraverit. At pœna in partem complicem decreta tali declaratione tolli neutiquam poteſt.

§. 103.

Per ſeductionem ad turpem libidinem delicti criminalis is reum ſe reddit, qui concreditam ſuæ educationi aut curæ perſonam ad libidinem ſeducit.

§. 104.

Talis delinquens duro carcere ab uno uſque ad quinque annos puniendus eſt.

§. 105.

Civilis delicti reus evadit domeſticus qui minorennem filiam, aliamve ad eandem familiam ſpectantem minorennem patris, matriſve familias cognatam ſeducit, atque vitiat.

§. 106.

Talis delinquens duro carcere ab uno menſe uſque ad unum annum punitor. Inquiſitio tamen, ac pœnæ irrogatio tum demum obtinere poteſt, ſi id ipſum ab eo petitur, cujus patriæ poteſtati aut tutelæ ſeducta ſubeſt.

§. 107.

Lenocinium illi in delictum criminale imputatur, qui ſpeciem quæſtus ea re facit, ut occaſionem ad turpem libidinem exercendam procuret.

§. 108.

In pœnam delicti hujus durus carcer ab uno uſque ad quinque annos ſtatuitur, hæcque tum omnino ad longius tempus proroganda eſt, ſi perſona illibatæ adhuc pudicitiæ ſeducta fuerit. Si delinquens ob lenocinium jam antehac punitus fuerat, pœna iterationis exaſperabitur, hacque executioni mandata ex loco ſuæ hucuſque commorationis, ſique extraneus fuerit, ex univerſis etiam hæreditariis provinciis relegandus erit.

§. 109.

Qui conſulto, etſi abſque lucri cupidine feminam illibatæ adhuc pudicitiæ, in familiarem conſuetudinem, atque in taliſmodi conſortium & occaſionem inducit,

qua ad libidinem pervertatur, talis ob hocce lenocinium perinde, ac ſeductor ob ſeductionem, at tum ſolummodo, ſi pars ſeducta factum incuſaverit, qua delinquens civilis mitiori carcere ab uno menſe uſque ad unum annum puniendus erit.

CAPUT XIII.

De homicidio.

§. 110.

Qui cum intentione hominem lædendi tale quidpiam ſuſcipit, ex quo mors ejuſdem neceſſario conſequitur, delicti criminalis homicidii reus evadit.

§. 111.

Si ſingulares relationes, quibus cædis auctor interemto junctus erat, nec non media & finis perpetratæ necis reſpiciantur, legalis oritur diverſarum homicidii ſpe-

ſpecierum diviſio, ſecundum quam poena etiam diverſimode conſtituitur. Hæ ſpecies ſunt: Parricidium cognatorum ac proxime conjunctorum, aſſaſſinium, homicidium proditorium, latrocinium, ſimplex homicidium.

§. 112.

I. Parricidium in cognatum aſcendentis vel deſcendentis lineæ aut in conjugem delinquentis commiſſum ſeveriſſimo ad dies vitæ carcere puniatur.

§. 113.

Parricidium, quod in cognatum lineæ aſcendentis vel deſcendentis delinquenti parentela extra matrimonium orta junctum, aut in parentum, avi aviæque fratrem ſororemve, in eorumdem conjugem, aut in legitimum delinquentis tam germanum quam conſanquineum atque uterinum fratrem vel ſororem, in germanum denique, vel conſanguineum atque uterinum conjugis ſui tum fratrem, tum ſororem com-

mittitur, duro carcere a decem uſque ad viginti annos vindicandum eſt.

§. 114.

In feminam cælibem, quæ recens natam prolem ſuam in ipſo partu interficit, duri carceris pœna a decem uſque ad viginti annos ſtatuitur; ſi vero ſobolem omiſſione neceſſariæ in partu curæ interire ſinit, duro itidem carcere a quinque uſque ad decem annos punienda eſt.

§. 115.

Quæ in §. 113. præſcribitur pœna, tunc quoque obtinet, quando homicidium a pupillo in tutorem, aut ab hoc in illum, aut inter famulitium & heros, inter ſuperiores, & ſubordinatos, vel denique in officialem publicum, in officii ſui executione, vel propter hanc ipſam executionem perpetratum fuerit.

§. 116.

II. Qui aliquem ad tertium quemdam interficiendum conducit, vel quocumque modo ad id permovere ſtudet, etſi aggreſſio intermiſſa, aut mandatum neutiquam acceptatum fuerit, ad durum carcerem a quinque uſque ad decem annos condemnandus eſt: ſi aggreſſio tentata equidem, cædes vero minime ſubſecuta fuerit, a decem uſque ad viginti; ſi denique cædes commiſſa fuerit, ad dies vitæ ſeveriſſimo carcere coercendus erit.

§. 117.

Qui mandatum acceptavit, eidem pœnæ obnoxius eſt, quæ ſuppoſita acceptatione pro varietate eventus contra mandantem ipſum §. præcedenti ſtatuitur.

§. 118.

III. Qui veneno aliove verſuto, ſimulato, inſidioſo modo, qui præcautionem ac defenſionem alterius excludebat, cædem patrat, is ut homicidii proditorii

reus ad ſeveriſſimum carcerem ad dies vitæ damnandus eſt.

§. 119.

Si vero homicidium proditorium aut aſſaſſinium in patrem, matrem, maritum, aut uxorem perpetratum fuerit, homicida proditorius, aut is, qui cædem mandavit, morte plectendi ſunt.

§. 120.

IV. Si ad rem alienam violenta oppreſſione ipſius perſonæ ſibi comparandam, aut ſi in violenta ejusmodi aggreſſione, etſi citra prævium occidendi propoſitum, quispiam interfectus, conſequenter latrocinium commiſſum fuerit, tum quivis occiſionis particeps morte puniendus erit.

§. 121.

V. Simplex homicidium, quod nimirum ad nullas hucdum recenſitas ſpecies refertur, ſequenti ſervato diſcrimine judicator:

a.)

a.) ſi citra intentionem occidendi præmeditate tamen vulnus, quod per ſe lethale eſt, mortemque adtulit, inflictum fuerit, in poenam durus carcer a quinque uſque ad decem annos irrogandus eſt.

b.) Si cum animo occidendi agebatur, homicida duro a decem uſque ad viginti annos carcere puniendus erit.

§. 122.

Si homicidium cum peculiari atrocitate perpetratum fuerit, ut exinde intentio mortem acerbiorem reddendi eluceat, pœna homicidæ ad dies vitæ durabit, ſique hæc diuturnitas pœnæ jam alioquin ob delicti qualitatem obtinet, ea graviter exaſperanda erit.

§. 123.

Si quis occaſione enatæ inter complures homines rixæ occiſus fuerit, tum quilibet, qui huic lethale vulnus inflixit, homicidii reus erit. Si vero mors ex omnibus demum vulneribus ſimul ſumtis ſecuta

fue-

fuerit, tunc equidem nullus homicidii, verum omnes, qui occiso manus injecerunt, gravis vulnerationis rei habendi sunt.

§. 124.

Justa sui defensio ab homicidio excusat. Hæc tamen excusatio inculpatæ tutelæ tunc duntaxat justa censeri potest, si probatum fuerit, aut saltem ex circumstantiis personarum, temporis, & loci prudenter arbitrari liceat, patratorem cædis vel proximum suum ab occiso adeo vehementer invasum fuisse, ut suimet ipsius vulnerationem, imo mortem ipsam juste metuere potuerit, ac proinde invasum jure necessariæ defensionis ad suam, vel proximi sui vitam, bona, aut libertatem adversus violentam invasionem tutandam usum fuisse.

CAPUT XIV.

De procuratione abortus.

§. 125.

Femina, quæ conſulto tale quidpiam ſuscipit, quo foetus ſuus abigi, aut quoquo modo id effici poteſt, ut partus in lucem mortuus prodeat, delicti criminalis rea evadit.

§. 126.

Si attentatus abortus minime ſubſecutus fuerit, poena mitioris carceris intra tres menſes, & unum annum determinanda eſt. Ob conſummatum vero abortum pœna duri carceris intra unum & quinque annos locum habet.

§. 127.

Si pater foetus ſe complicem delicti fecerit, pœna ejus omni in caſu ſeu legi-

ti-

tima ſeu illegitima fuerit generatio , exaſperabitur.

§. 128.

Criminalis hujus delicti reatu ille ſe etiam obſtringit, qui lucri cauſſa, vel quaqua demum alia ex intentione citra ſcitum & conſenſum matris abortum efficit aut efficere attentat.

§. 129.

Talis delinquens duro intra unum, & quinque annos carcere, ſi autem matri etiam in perſona ſua malum quodpiam delicto hocce illatum fuerit, intra quinque & decem annos puniendus erit.

CAPUT XV.

De expoſitione infantis.

§. 130.

Qui infantem ea ætate, qua is vitæ ſuæ conſervandæ nequaquam ſufficit, eo fine exponit, ut eum ſeu periculo mortis objiciat, ſeu vitæ ejus conſervationem fortuito ſaltem caſui committat, delicto ſeſe obſtringit, quæcumque demum cauſſa ad id impulerit.

§. 131.

Si infans in loco ab hominibus frequentari ſolito ita fuerit expoſitus, ut tempeſtiva ejus detectio omnino ſperari potuerit, & effectus exſpectationi huic reſponderit, tum factum ejusmodi pro civili delicto habendum, ac mitiori intra unum menſem & unum annum carcere puniendum erit.

§. 132.

Quod ſi expoſitio in ſolitario quodam, a conſueta hominum frequentia remoto loco facta, aut infans expoſitus ita obvolutus fuerit, ut a prætereuntibus vix animadverti, vel vagitus ejus non facile auribus percipi potuerit, aut ſi mors expoſiti quoquo modo infantis exinde fuerit ſecuta, factum hoc criminale eſt delictum.

§. 133.

Pœna criminalis hujus delicti eſt durus carcer, qui, ſi infans in vita manſerit, vel, ſi mors ejusdem in caſu §. 131. nihilominus ſubſecuta fuerit, intra unum & quinque annos, ſecus autem intra quinque & decem annos præfigendus eſt.

CA-

CAPUT XVI.

De vulneratione, aliaque corporali violatione.

§. 134.

Qui cuipiam cum intentione lædendi grave vulnus, aut valetudini ejusdem detrimentum infert, delicto ſe obſtringit, quamvis nec animum interficiendi habuerit, nec mors ſubſecuta ſit.

§. 135.

Vulneratio, aut corporalis violatio ſequentibus in caſibus criminale delictum evadit:

a.) Si cum læſione illata vitæ periculum conjunctum, vel ea ita ſaltem comparata fuerit, ut læſus grave inde corporis ſui detrimentum capiat;

b.) Si tali inſtrumento, talique modo ſuſcepta eſt, quocum vitæ diſcrimen plerumque cohæret;

c.) Si aggreſſio per inſidias facta, ſicque perſona quæpiam violenter, etſi verberibus duntaxat, læſa fuerit.

§. 136.

Pœna criminalis hujus delicti eſt mitior carcer intra tres menſes, & unum annum, quæ pro ratione gravioris malitiæ, violentiæ, & læſionis ad quinquennalem etiam durum carcerem protendi poteſt.

§. 137.

Durus carcer intra unum & quinque annos in eos quoque decernendus erit, qui juxta §. 123. ob illatam in rixa necem tanquam delicti gravis vulnerationis rei puniendi ſunt.

§. 138.

Aliæ §. 135. non expreſſæ graves vulnerationes, aut corporales violationes

qua

qua civilia delicta mitiori carcere intra unum menſem & unum annum puniuntor.

§. 139.

Qui ſe cum propoſito, vitam ſibimet ipſi adimendi, graviter vulnerat, aut lædit, criminale delictum committit.

§. 140.

Delinquens ejusmodi cum diſcrimine, num authochiria ob propriam pœnitentiam, num vero caſu tantum & invito reo conſummata non fuerit, mitiori, vel duro carcere a tribus menſibus uſque ad unum annum coercendus erit.

§. 141.

Morte ſecuta cadaver extra ſepulcra defoditor.

§. 142.

Qui eo ſe fine mutilat, ut officiis ſibi qua civi incumbentibus ſe ſubducat, delictum civile incurrit.

§. 143.

Poena hujuscemodi mutilationis est mitior carcer intra unum mensem, & unum annum; quod si mutilatio ad servitia militaria declinanda peracta fuisset, tum delinquens poena persoluta illi generi servitii militaris, ad quod etiamnum aptus videbitur, mancipandus erit.

CAPUT XVII.

De Duello.

§. 144.

Qui alium quacumque de caussa ad certamen singulare armis lethiferis suscipiendum provocat, quique ad talem provocationem conflictus caussa se sistit, criminale delictum duelli committit.

§. 145.

Delictum hoc, etsi nullum inde malum secutum fuerit, duro carcere a tribus mensibus usque ad unum annum punitor.

§. 146.

Si in duello vulneratio acciderit, poena duri carceris ab uno usque ad quinque annos decernenda erit.

§. 147.

Si mors alterutrius ex duello secuta est, homicida duro carcere a decem usque ad viginti annos plectitor.

§. 148.

Quovis in casu provocans severius quam provocatus puniatur.

§. 149.

Qui ad provocationem, vel ad ejusdem acceptationem quacumque ratione contribuerit, aut provocationem declinaturo despectum minitatus fuerit, aut exhibuerit, mitiori carcere a tribus mensibus usque ad unum annum; sin id, quod

contulit, magnum momentum habuerit, & vulneratio, vel ipſa mors ſubſecuta ſit, duro etiam carcere ad quinque uſque annos puniendus erit.

§. 150.

Qui duello, ut adſiſtentes, ſeu ita dicti ſecundantes, uni certantium adſtitere, ad durum carcerem a tribus menſibus uſque ad unum annum, vel prorſus ad quinque etiam annos pro eo, ac ad delicti progreſſum magis contulerint, majusque malum ſubſecutum fuerit, condemnandi ſunt.

CAPUT XVIII.

De incendio.

§. 151.

Delicti criminalis incendii reus eſt, qui talem ponit actionem, qua ſecundum ſuam intentionem incendium in rebus alienis excitari deberet, etſi flamma non erupe-

eruperit, nec ullum inde damnum ſecutum fuerit.

§. 152.

Pœna ſequenti diſcrimine decernenda erit :

a.) Si ignis erupit, & grave læſo damnum, aut cuidam homini mortem attulit, uti etiam,

b.) ſi delinquens incendium diverſis vicibus, tametſi ſemper ſine effectu, attentavit; utroque in caſu delinquens duro carcere ad dies vitæ, ac pro ratione ſingularis malitiæ, & gravioris damni ſeveriſſimo etiam carcere plectitor;

c.) ſi ignis erupit, nullæ tamen ex mox recenſitis circumſtantiis adfuere, durus carcer a decem uſque ad viginti annos præfigendus erit;

d.) ſi ignis quidem non erupit, at tempore nocturno, aut tali in loco, unde erumpens facile propagari potuiſſet, vel ejusmodi ſub circumſtantiis, ubi vita ſimul

humana manifesto periculo exposita erat, subjectus est, facti tum auctor duro carcere a quinque usque ad decem annos punietur;

e.) si delictum de die nullo singulari inde periculo imminente commissum, atque ignis subjectus absque eruptione exstinctus, vel antequam damnum adferre potuisset, suppressus fuit; delinquens poenam duri carceris intra unum, & quinque annos incurrit;

f.) si delinquens pœnitentia ductus, ac opportuno adhuc tempore tantam impendit operam, ut omne detrimentum præpeditum sit, poena duri carceris intra tres menses, & unum annum decernenda erit.

§. 153.

Qui incendium in rebus suis propriis animo jura tertio in eas competentia subvertendi, aut suspicionem delicti in alium torquendi excitat, is haud incendii, sed falsi reus habetor.

CA-

CAPUT XIX.

De furto, et aliis amotionibus.

§. 154.

Qui lucri faciendi gratia bonum mobile alienum alteri id poſſidenti præter illius conſenſum ſubripit, furtum committit.

§. 155.

Furtum vel ex quantitate rei ablatæ, vel ex qualitate facti, vel ex conditione delinquentis in criminale delictum abit.

§. 156.

Ex quantitate rei ablatæ furtum criminale delictum erit, ſi ſumma, vel pretium rei furto ſemel, aut iteratis vicibus ablatæ, viginti quinque florenos vienneſes excedit. Coeterom pretium hoc non ex emolumento furi obtingente, verum ex damno illius, qui furtum paſſus eſt, computandum erit.

§. 157.

Ex qualitate facti furtum criminale est delictum, vel

I. nulla habita quantitatis ratione, si durante incendio, inundatione, aut alia sive communi sive peculiari ejus, qui furtum patitur, calamitate commissum fuerit, vel

II. si summam quinque florenorum excedit, ac præterea *a.)* in consortio unius vel plurium complicum, aut *b.)* in loco cultui divino dedicato, vel *c.)* in re obserata, aut *d.)* denique in pecude de pascuis vel de agmine perpetratum fuerit.

§. 158.

Ex conditione delinquentis furtum criminalibus adnumeratur delictis:

I. nullo habito quantitatis respectu, si delinquens bis jam a judice ob furtum poena tametsi non criminali mulctatus fuerit;

II. si famuli, vel ancillæ hero, aut heræ, opifices, vel operarii magistro, aut illi, cui operam locaverant, pretium vel summam quinque florenos excedentem furati fuerint.

§. 159.

Si præter ea, quæ §. §. 156. 157. 158. ad delictum criminale furti requiruntur, nulla adest circumstantia aggravans, durus carcer intra tres menses & unum annum poena esto.

§. 160.

Si vero ad id, quod alioquin jam, ut furtum delictum criminale sit, sufficeret, altera adhuc memoratarum in recensitis §. §. circumstantiarum accesserit; tum poena duri carceris intra unum, & quinque annos statuenda erit.

§. 161.

Si summa rei furto ablatæ trecentos florenos excedit, vel furtum passo grave pro modo facultatum suarum damnum il-

la-

latum, aut furtum ſingulari quadam temeritate, vi, vel aſtutia peractum fuerit, denique ſi delinquens furandi conſuetudinem contraxerit, durus carcer a quinque uſque ad decem annos decernendus erit.

§. 162.

Delinquens, qui bis jam ob furtum pœnam criminalem ſubiit, ad durum carcerem a decem uſque ad viginti annos condemnandus erit.

§. 163.

Furtum nocturno tempore admiſſum, vel diuturnitate, vel exaſperatione poenæ ſeverius ſemper habetor, quam ſi caeteris paribus de die perpetratum fuiſſet.

§. 164.

Qua furti reus is etiam criminaliter tractandus eſt, qui rem vi officii publici, vel ſpeciali poteſtatis ſuperioris mandato ſibi concreditam ſumma vel pretio viginti

quin-

quinque florenos excedentem ſibi tenere arrogat.

§. 165.

Talis delinquens criminalis, ſi res ab eo interverſa centum florenos non excedit, ad durum carcerem ab uno uſque ad quinque annos, ſin damnum majus fuerit, ad decem, vel viginti etiam annos condemnandus erit.

§. 166.

Furta, in quibus ea, quæ ſecundum §. §. 156. 157. 158. ad qualitatem delicti criminalis requiruntur, non interveniunt, qua civilia delicta tractanda erunt.

§. 167.

Pro civilibus delictis habenda quoque ſunt, *a.)* omnia ferarum furta, *b.)* lignorum item furta in patentibus ſilvis, niſi peculiare delictum criminale concurrat.

§. 168.

Ubi furtum delictum civile eſt, pro gradu malitiæ, elucentis ex eo periculi, illatique damni, mitiori, vel duro carcere ab uno menſe uſque ad unum annum, ſique res ablatæ exigui prorſus fuerint valoris, infra unum menſem puniendum erit.

§. 169.

Qua particeps furti delicto ſe obſtringit, qui rem furtivam occultat, eam ſibi adquirere aut aliis diſtrahere molitur.

§. 170.

Si huic *a.)* ex ſumma aut ex pretio rei, ſeu ex iis, quæ geſta ſunt, conſtiterit, furtum ſub qualitate delicti criminalis commiſſum fuiſſe, vel *b.)* ſi res furtivæ ab eo repetitis vicibus occultatæ, ſibi habitæ, aut alienatæ ſimul ſumtæ ſummam vel pretium viginti quinque florenorum excedunt, tunc participatio delictum criminale eſt.

§. 171.

Participationis istiusmodi reus mitiori a tribus mensibus usque ad unum annum, pro ratione vero majoris summæ, astutiæ, illatique suo auxilio damni ad quinque etiam annos prorogando carcere plectendus erit.

§. 172.

Participatio ferarum vel lignorum furti §. 167. memorati, quovis in casu pro civili delicto habenda est.

§. 173.

Participatio aliorum, quæ pro civilibus declarantur, furtorum eo usque delictum civile erit, donec ob reiterationem ex eaque provenientem summam secundum §. 170. (b) in criminale delictum abeat.

§. 174.

In participes furti, qui civilis delicti rei sunt, pæna ex §. 168. decernitor.

§. 175.

Qui peculiari in §. 164. expresso nexu non obstrictus bonum aliquod sibi concreditum intervertit, retinet, & in proprios usus convertit, amotionis pro civili delicto habendæ & ad normam §. 168. puniendæ reus est.

§. 176.

Amotiones inter conjuges, parentes, liberos, fratres, atque sorores, quamdiu in communi vivunt familia, evenientes, solummodo, si caput familiæ id ipsum petierit, tanquam delicta civilia conformiter ad §. 168. puniri poterunt.

§. 177.

Quodvis furtum, vel amotio cessat esse delictum, si auctor facti rem furto ablatam, vel amotam, antequam is judicialiter innotescat, sponte restituerit, damnumque ex facto suo emergens reparaverit. Idem in furti participatione obtinet.

CAPUT XX.

De rapina.

§. 178.

Rapina est delictum criminale. Hujus reum se facit, qui personæ vim eo fine infert, ut bono mobili, eidem aut etiam alteri personæ proprio, potiatur, nec interest, an vis corpori reapse illata, an minis saltem intentata fuerit.

§. 179.

Sola jam hujusmodi comminatio, etsi ab uno tantum profecta, nec ullum effectum sortita sit, duro a quinque usque ad decem annos carcere vindicanda erit.

§. 180.

Si vero comminatio in consortio complurium rapinæ sociorum, vel lethiferis armis suscepta, vel res cum comminatione pla-

plane rapta fuerit, durus carcer a decem ufque ad viginti annos in poenam decernendus erit.

§. 181.

Eadem poena obtinet, fi in perfonam violentæ manus injectæ fuerint, quamvis rapina perfici non potuerit.

§. 182.

Rapinæ violenta manuum injectione fufceptæ atque omnino confummatæ durus carcer ad dies vitæ imminet.

§. 183.

Si ad rapinam vulneratio quoque, vel læfio corporis acceflerit, qua vitæ periculum, aliudve grave corporis detrimentum cuipiam adlatum fuerit, quivis in hoc complex feveriffimo ad dies vitæ carcere puniendus erit.

§. 184.

Qui rem, quam raptam novit, licet levis fummæ, vel pretii, occultat, di-

ftra-

ſtrahit, aut ſibi adquirere tractat, ut particeps criminalis delicti rapinæ duro intra unum & quinque annos carceri ſubjicitor.

CAPUT XXI.

De falſo.

§. 185.

Qui alium fraudulenter circumveniendo in errorem inducit, ut quisquam damnum in re aut jure ſuo patiatur, vel qui talem fovens intentionem, errore, aut ignorantia alterius abutitur, falſum committit, quod inter delicta refertur.

§. 186.

Falſum, vel ex qualitate facti, vel ex quantitate damni in delictum criminale abit.

 §. 187.

§. 187.

Species, in quibus falſum ex qualitate facti tanquam delictum criminale imputandum eſt, ſunt, ſequentes:

a.) ſi quis alium ad falſum teſtimonium in judicio dandum ſubornaverit, vel falſum teſtimonium judicio obtulerit, aut reddiderit, vel denique in cauſſa propria falſum juramentum obtulerit, vel plane præſtiterit;

b,) ſi quis ſe officialem publicum eſſe ſimulaverit, aut mandatum magiſtratuale, vel datum ſibi a publica quadam poteſtate jus mentitus fuerit;

c.) adulterinæ in commercio publico menſuræ, vel ponderis uſus;

d.) cum quis documentum publicum vel ex ordinatione publica cum impreſſione ſigilli fieri ſolitam ſignationem ſeu probationem effingendo imitatur, aut adulterat;

e.) si termini ad designandos limites positi auferuntur aut moventur.

§. 188.

Alia falsi genera criminalia fiunt delicta, cum damnum illatum aut saltem intentatum viginti quinque florenos excedit.

§. 189.

Tametsi omnes fallendi modi ob nimiam eorumdem diversitatem in codice præsenti enumerari nequeant, speciatim tamen sub conditione mox memoratæ summæ delictum criminale committit:

a.) qui falsa privata documenta conficit, aut genuina adulterat;

b.) qui imbecillitate alterius, mentem ejus præstigiosis aliisve fraudulentis artibus obcæcando, in ejus ipsius aut tertii detrimentum abutitur;

c.) qui res inventas ex proposito occultat, & tanquam sibi proprias habet;

d.) qui falſum nomen, conditionem, dignitatem uſurpat, ſe dominum bonorum ad alios pertinentium ſimulat, aut quocumque fuco utitur, ut injuſtum lucrum facere, alterius bona aut jura eidem competentia lædere, vel eum ad ejusmodi noxias actiones inducere valeat, quas citra fraudem ſibi factam nunquam ſuscepiſſet;

e.) obæratus, qui profuſione imparem ſe ſolvendo reddidit, qui machinationibus fidem protrahere conatus eſt, qui fictitios creditores prætegendo, aut alias conventiones ſubdole tractando, aut partem patrimonii ſui occultando genuinum bonorum (vulgo maſſæ) ſtatum pervertit.

§. 190.

Cum falſi mitius, ſeveriusque vindicandi ratio a comitantibus circumſtantiis dependet; in pœnam criminalem pro modo adhibitæ fraudis, poſſibilis adverſus eam cautelæ, imminentis inde peri-

cu-

culi, datique damni jam mitior jam durus carcer trium mensium irrogari, verumtamen etiam ad decem annos protendi immo & exasperari poterit. Præcipue autem fraudulentus in ea specie, qua delicto suo falsi jurisjurandi in judicio oblatio aut ipsa plane præstatio accesserit, præter duri & longioris carceris poenam ad infamem catastam exponatur.

§. 191.

Si memorata §. §. 187. & 188. ad criminale delictum requisita deficiunt, delictum falsi §. 185. definitum tanquam civile tractandum, & mitiori intra unum mensem & unum annum carcere vindicandum erit.

CAPUT XXII.

De bigamia.

§. 192.

Qui ſuperſtite conjuge cum alia perſona novas contrahit nuptias criminale delictum admittit.

§. 193.

Ejusdem delicti rea fit perſona ſoluta, cum perſona maritata, quam talem eſſe novit, matrimonium iniens.

§. 194.

Pœna bigamiæ eſt mitior carcer ab uno usque ad quinque annos. Si vero delinquens perſonam, quacum novas iniit nuptias, matrimonii, quo tenetur, vinculum celaverit, duro carcere plectitor.

CAPUT XXIII.

De calumnia.

§. 195.

Qui bonam alterius existimationem, eum seu criminalis, seu etiam civilis tantum delicti temere insimulando, lædere conatur, delicti calumniæ se reum reddit.

§. 196.

Ubi criminatio intra fines indeterminatæ incusationis perstitit, nec ullum damnum infamato attulit, qua civile delictum calumniæ dijudicanda, & mitiori carcere unius mensis usque ad annum coercenda est.

§. 197.

Ast si calumniator criminationem colorata quadam ratione probabilem reddere studuit, aut si calumnia diffamato insigne detrimentum importavit; calumnia-

tor pro criminali delinquente habendus, & duro intra unum & quinque annos carcere plectendus erit.

CAPUT XXIV.

De ſubſidio delinquentibus præſtito.

§. 198.

Delicti ejusdem, quo immediatus ſe auctor obſtringit, eos quoque reos habendos eſſe, qui opem, auxiliumque ei præbuere, jam §. 10. continetur. Sequentibus vero in caſibus ſingularis delicti reum ſe quoque reddit is, qui delinquenti ope ſua adeſt aut ſaltem non deeſt.

§. 199.

Primus caſus: ſi quis criminale delictum, quod citra proprium periculum facile impedire poterat, ex malitia avertere intermiſerit.

§. 200.

§. 200.

Qui in crimine perduellionis id ipſum intermittit, ad normam §. 45. pro complice habendus, & ſeveriſſimo ad dies vitæ carcere puniendus erit.

§. 201.

Qui alia criminalia delicta ſupra allegato modo præpedire intermittit, delinquens criminalis cenſendus & dimidio illius poenæ, quæ facto ab eo cognito nec tamen impedito imminet, adficiendus eſt. Quod ſi poena facti mors, ſeu carcer ad dies vitæ fuerit, præſtiti tum ejuscemodi ſubſidii reus duro intra decem, & viginti annos carcere plectitor.

§. 202.

Secundus caſus: ſi quis notum ſibi perduellionis, vel adulterationis chartarum publicarum reum poteſtati ſuperori denunciare conſulto intermittit,

§. 203.

Delinquens ejusmodi criminalis poenae §. §. 46. & 201. praescriptae subjacet. Eo solum in casu, quo denunciationem adulteratoris chartarum publicarum intermittens convictus esse poterat, ex intermissa denunciatione noxias consecutiones ultra haud orituras esse, in eum tanquam delinquentem civilem duro carcere a tribus mensibus usque ad annum animadvertendum est.

§. 204.

Soli consanguinei delinquentis, tum ascendentis, tum descendentis lineae, quique primo ei affinitatis gradu juncti sunt; fratres porro atque sorores, consobrini, atque fratrueles, nec non conjux istiusmodi delinquentem indicare intermittentes, siquidem delictum consummatum nec ullum malum consectarium ultra pertimescendum est, a poena, quatenus §. 46. non obstat, immunes sunto.

§. 205.

§. 205.

Tertius casus : qui investiganti potestati superiori apta ad detegendum delictum aut delicti auctorem indicia occultat, aut delinquentem eandem celat, notis sibi delinquentibus refugium præbet, aut conventiculis eorumdem, quæ præpedire potuisset, suffragatur.

§. 206.

Talis occultator civilis delicti reum se reddit, & pro ratione imminentis ab occultato delicti auctore periculi, profectæque a subsidio suo noxæ, mitiori, vel duro carcere a tribus mensibus usque ad tres annos puniendus erit.

§. 207.

Attamen personæ, quas inter & delinquentem in §. 204. commemoratum necessitudinis vinculum obtinet, ob solam ejusmodi occultationem poenæ reatum non incurrunt.

§. 208.

Quartus casus: si quis comprehenso occasionem ad fugam, seu fraude, seu vi faciliorem reddiderit, vel investigantibus superioribus, ne profugus comprehenderetur impedimento fuerit.

§. 209.

Istiusmodi subsidium criminale semper est delictum. Quod si ab eo, cui custodiæ cura incumbit, suppeditatum, vel si subsidium adferenti notum fuerat, comprehensum perduellionis, adulterationis chartarum publicarum, vel monetæ falsæ, homicidii, rapinæ, vel denique incendii incusatum, vel plane reum jam declaratum esse; delinquens duro carcere, ac siquidem ei, qui ob crimen perduellionis, vel adulteratarum chartarum publicarum sub carcerum custodia detinetur, subsidium præstat, inter quinque & decem annos, in reliquis vero hic expressis casibus

bus intra unum & quinque annos puniendus erit.

§. 210.

Sin comprehenſus ob aliam præcedenti §. haud expreſſam cauſſam inquiſitioni, vel pœnæ obnoxius fuerit, & ſubſidium præbens nullo peculiari officio ad ejus cuſtodiam tenetur, mitiori carcere intra tres menſes, & unum annum plectendus erit.

§. 211.

Quintus caſus. Si quis militem ad ſigna, atque vexilla juratum, aut eum qui ſervitio militari addictus eſt, ad militiam deſerendam impulit, aut ei conſilio & opera præſto fuit, aut deſertori ſignorum, emendo de eŏ veſtitum aut arma, monſtrando viam, porro veſtium mutatione, occultatione, receptatione, vel quacumque demum ratione auxiliarem operam præbuit, atque ita vel deſertionem faciliorem, vel percunctationem,

at-

atque reductionem ejusdem difficiliorem reddidit.

§. 212.

Præſtiti ejuscemodi ſubſidii reus, militiæ, ſi ad hanc aptus fuerit, tradendus eſt. Inhabilis militiæ non modo pro quovis profugo e copiis pedeſtribus milite quinquaginta florenos, ſique ex equitatu fuerit, centum florenos perſolvere, ſed & tanquam delinquens civilis pœnam mitioris carceris intra unum menſem, & aerarium ſubire tenetur. Si ſolutionem ærario militari præſtare nequiverit, tum pœna duratione aut exaſperatione augenda eſt. Quamvis porro deſertor ſignorum reductus fuerit, propterea, quæ in hoc §. diſponuntur, neutiquam immutantur.

CA-

CAPUT XXV.

De circumſtantiis pœnam mitigantibus.

§. 213.

Circumſtantiæ perſonam delinquentem reſpicientes, propter quas poena mitigari poterit, hæ ſunt:

a.) ſi delinquens viginti annis minor, vel alias mente debilis fuerit;

b.) ſi vitam antea inculpatam duxerit;

c.) ſi ſe, tertio quodam impellente, timore, aut obedientia ſeduci ſiverit;

d.) ſi vehementi quadam, quæ hominum mentes ferire ſolet, animi commotione ad perpetrandum delictum abripi ſe paſſus fuerit;

e.) ſi magis data ſibi per aliorum negligentiam occaſione ad delictum allectus fu-

fuerit, quam ſe præconcepta ad illud committendum intentione determinaverit;

f.) ſi inopia, qua premebatur, ad facinus perpetrandum induci ſe paſſus fuerit;

g.) ſi damnum datum reſarcire, vel ulteriores malas conſecutiones ex poenitentia haud ſimulata, ac efficaci fervore impedire ſtuduerit;

h.) ſi, dum fugam facile capeſſere, aut deliteſcere potuiſſet, ſe ipſum denunciaverit, delictumque a ſe patratum faſſus fuerit;

i.) ſi ex poenæ rigore modus ac quæſtus, quo innocens familia ſuſtentatur, inſigne detrimentum caperet.

§. 214.

Ex qualitate facti poena mitigari poterit:

a.) ſi delictum ſolummodo attentatum fuerit, pro ratione ſcilicet, qua conatus, ab ipſa delicti conſummatione plus, minusve remotus eſt;

b.)

b.) ſi delinquens a majori damno inferendo, ad quod occaſio ei præſto fuerat, ultro ſe abſtinuerit;

c.) ſi damnum e delicto emergens exiguum fuerit, aut damnum paſſus, vel læſus plenam obtinet reſarcitionem aut ſatisfactionem.

CAPUT XXVI.

De circumſtantiis delictum aggravantibus.

§. 215.

Quo maturior erat deliberatio, quo ſollicita magis ad patrandum delictum præparatio, quo majus damnum datum, aut imminens exinde periculum, quo difficilior ad id declinandum circumſpectio, quo plura una violantur officia, eo majus eſt delictum, eo major ſit rigor poenæ.

§. 216.

Speciatim gravior eſt illius reatus, qui

a.) plura diverſi generis delicta commiſit; vel

b.) qui idem delictum reiteravit;

c.) qui jam ſimilis delicti pœnam dedit;

d.) qui alios ad delictum committendum ſeduxit, vel

e.) qui auctor, concitator, ac coryphæus delicti a pluribus commiſſi fuit.

§. 217.

Is quoque delinquens ſeverius puniendus eſt, qui judicem in inquiſitione falſas fingendo circumſtantias circumvenire conatur.

CA-

CAPUT XXVII.

De dijudicandis circumſtantiis mitigantibus, et aggravantibus.

§. 218.

Motivorum mitigantium eatenus tantum ratio haberi poteſt, quatenus contraria ex parte nulla obveniunt aggravantia.

§. 219.

Poenam mortis ex lege delinquenti irrogandam judex nunquam mitigare poteſt.

§. 220.

Sed & in delicto carcere perpetuo plectendo mitigandi cauſſæ ea tantum ratione prodeſſe poſſunt, quatenus iis deficientibus poena plane exaſperanda fuiſſet.

§. 221.

In aliis delictis regula eſto: Determinatam a lege durationis menſuram, poenæque genus ob circumſtantias mitigantes

neutiquam immutari, ſed tempus duntaxat poenæ intra limites ſpatii per legem conceſſi coarctari poſſe.

§. 222.

In caſibus a lege pro civilibus tantum delictis declaratis, nec non, ubi a lege poena infra quinque annos ſtatuta eſt, poenam ad brevius tempus aut ad mitiorem carcerem, quam lex decernit, temperandi jus eſto, ſi modo plures ac tales concurrunt leniendi rationes, ob quas firma de emendatione delinquentis ſpes concipi valet.

§. 223.

In iisdem caſibus mitigatio poenæ quoad tempus ac gradum carceris in eo conſiſtere poteſt, ut longiori durationi poena ſenſibilior, jejunio ſcilicet aut caſtigatione exaſperata, ſubſtituatur.

§. 224.

Aggravantium circumſtantiarum is eſt effectus, ut iis convenienter major aut ſummus, quem lex definit, gradus carceris poenæ decernendus, aut etiam hæc modis in capite ſecundo adductis exaſperanda ſit.

CAPUT XXVIII.

De modis, quibus delicta ac pœnæ exſtinquuntur.

§. 225.

Mors delinquentis, ſive ea ante, ſive poſt coeptam inquiſitionem, ante, vel poſt latam in eum ſententiam evenerit, perſecutionem delinquentis, & poenæ executionem quidem tollit, lata tamen jam antehac ſententia, quantum ad bona delinquentis attinet, executioni mandanda erit.

§. 226.

Postquam delinquens poenam decretam persolvit, delictum exstinctum censendum est. Is porro in omnia civibus communia jura regreditur, quatenus eorum jactura nec sub expressis in §. 35. condemnationis consectariis comprehensa, nec cum ea per §. §. 36. & 37. copulata est. In usu proinde ejusmodi jurium a nemine unquam impediri, aut turbari poterit. Et donec ulterior ejus vita proba fuerit, quod actum fuit, a nemine ei objiciatur, nec quacumque demum ratione probris ideo proscindatur.

§. 227.

Qua ex parte poena irrogata remissa fuerit, ea remissio eundem, ac si delinquens poenam subiisset, effectum habet.

§. 228.

Qui a competenti foro post legitimam inquisitionem de incusato crimine absolu-

tus

tus & innocens declaratus eſt, in eum ob idem delictum rurſus inquiri haud poteſt.

§. 229.

Præſcriptione delictum & pœna exſtinquitur, ſi, a die perpetrati delicti inchoando, delinquens tempore præſenti lege definito inquiſitioni ſubjectus non fuerit.

§. 130.

Tempus præſcriptionis hujus

a.) pro delictis criminalibus, in quæ ſeu mortis, ſeu perpetui carceris pœna ſtatuta eſt, ad viginti annos;

b.) pro iis, quibus pœna decem annorum usque ad viginti annos imminet, ad decem annos; pro delictis criminalibus, in quæ pœna infra decem annos ſancita eſt, ad quinque annos; pro omnibus demum delictis civilibus ad duos annos præfigitur.

§. 231.

Præſcriptio tamen ei ſolum patrocinari poteſt, qui nec e ditionibus hiſce fu-

gam cepit, nec præfinito præscriptionis tempore ullius se ultra delicti reum fecit.

§. 232.

Præscriptionis is est effectus, ut ob id delictum nec inquisitio, nec poena locum habeat.

PARS II.

De
legitimo in delicta procedendi modo.

CAPUT I.

De jurisdictione circa delicta.

§. 233.

In caussis criminalibus nonnisi judiciis pœnalibus, peculiariter ad eas tractandas destinatis, jurisdictio competit, quatenus aliud præsenti codice non est definitum.

§. 234.

Hisce judiciis pœnalibus in iis quoque caussis jurisdictio præsenti lege tribuitur,

quæ

quae tenore hujus codicis tanquam civilia delicta dijudicanda ſunt.

§. 235.

Jurisdictio judicii poenalis in toto ejus diſtrictu obtinet, adeo, ut nulla in eodem exiſtens perſona aut communitas immunitate gaudeat.

§. 236.

Hæc jurisdictio conſiſtit in officio in delicta inquirendi, delinquentes detegendi, cumque his modo legitimo procedendi.

§. 237.

Quilibet intra limites diſtrictus degens tenetur, in judicio poenali, quod eum citandum exiſtimaverit, comparere, interrogatus reſpondere, atque mandatis ejusdem obtemperare.

§. 238.

Judicium poenale jurisdictionem ſuam vi officii exercere debet, præterquam in caſibus ſupra §. §. 102. 106. 109. 176. expreſſis.

§. 239.

Quæ ad hanc jurisdictionem pertinent negotia, præcipua cura maturantor. Omnes porro reliquæ præfecturæ a judiciis poenalibus interpellatæ, auxilium eis nulla interposita mora præstare tenentur.

§. 240.

Exercitium jurisdictionis in judiciis poenalibus iis tantum committi potest, qui prævio examine rigoroso ex præsenti codice a tribunali appellationis habiles declarati fuerint. Tali modo adprobatus mox a tribunali appellationis juramento obstringatur, se in jurisdictione poenali, si qua ei exercenda obtigerit, justitiam secundum leges esse administraturum.

§. 241.

Præterea in judiciis poenalibus necessarii pro modo districtus adparitores constituendi, carceres numero congruo & in legitimo statu conservandi, ea denique cuncta comparanda sunt, quæ demanda-

ta iisdem juris adminiſtratio poſtulat. Publica tamen judiciorum poenalium aut locorum ſupplicii deſignatio haud permittitur.

§. 242.

Corpus delicti a judicio poenali, in cujus diſtrictu delictum commiſſum fuit, levator.

§. 243.

Adverſus perſonam delicti incuſatam procedendi jus ei judicio poenali competit, in cujus diſtrictu talis perſona deprehenditur.

§. 244.

Sequentes duntaxat excipiuntur caſus:

1.) Qui perduellionis, adulterationis chartarum publicarum, monetæ falſæ incuſatur, ad judicium poenale cracovienſe, ut legitime adverſus eum procedatur, transmittendus eſt.

2.) Personæ ad exercitum pertinentes, si delicti caussa adprehenduntur, proximæ militari præfecturæ tradendæ sunt.

3.) Extraneum ministrum, personasque ad legationem proprie pertinentes adprehendere nulla ratione licet. Domestici quoque, & aliæ ad famulitium legati spectantes personæ, siquidem nationis ablegantis subditi fuerint, foro communi haud substant. Quamobrem si cum ejusmodi domesticis aut famulitio legati casus contingeret, tunc equidem præfectura personam incusatam custodire, attamen ministro id aperire tenetur, ut is comprehensum recipere valeat.

4.) Si judicium poenale profugum e districtu suo persequitur, is huic judicio, ubicunque demum eum assequitur, relinquitor.

5.) Si a poenali judicio delicti caussa edicto citatus, in alio judicio poenali deprehenditur, priori extraditor.

§. 245.

§. 245.

Quoniam communis ſecuritas præcipue a concredita judiciis pœnalibus juris adminiſtratione pendet, quævis in ea admiſſa negligentia gravi obnoxia eſt animadverſioni. Ubi itaque conſtiterit, delinquentem mora judicii pœnalis legitimum procedendi modum evaſiſſe, id ipſum judicium non modo illis, qui ea de cauſſa indemnitatem ſuam amiſerant, damnum reſarcire, ſed & omnes impenſas, quas aliud judicium pœnale delicti hujus cauſſa tulit, refundere tenetur. Præterea is, qui ſe moræ reum fecit, pœnæ ſubjicitor.

§. 246.

Judicia pœnalia tribunali appellationis, utpote tribunali ſuperiori, hocque ſupremo juſtitiæ tribunali ſubjectum eſt.

§. 247.

Tribunali ſuperiori facultas conceditur, in locum judicii pœnalis ordinarii

aliud ad caussam tractandam delegandi, quoties id incusati ad judicium ordinarium ejusve administrationem relatio, aut caussæ connexitas ad maturiorem atque solidio rem pertractationem, aliaque justa caussa exigit.

CAPUT II.

De *investigandis delictis, et delinquentibus.*

§. 248.

Qua ratione non solum judicia pœnalia, sed & præfecturæ loci in otiosas, vagabundas, suspectasque personas sine peculiari quoque ansa curate invigilare, sique violentæ invasiones commissæ, vel aliæ periculosæ facinorosorum catervæ observatæ fuerint, aptas visitationes, atque investigationes instituere teneantur; id jam politiæ ordinationibus sancitum est.

§. 249.

Sin autem judicio poenali determinatum, in ſuo diſtrictu patratum delictum innotuerit, ſive a judicio ipſo detectum, ſive eidem indicatum fuerit, modum, quo ad hanc notitiam pervenerit, exacte protocollo inferat.

§. 250.

Quilibet notum ſibi delictum, atque delinquentem ſeu immediate judicio poenali, ſeu proximæ præfecturæ indicandi jus habet.

§. 251.

Delator tamen nomen ſuum, vitæ conditionem, atque domicilium profiteatur, & delatio determinatam facti relationem contineat.

§. 252.

Ad anonymam delationem adverſus neminem proceditor. Quod ſi ejusmodi delatio talem delicti deſcriptionem ſecumferat, quae fidem mereri videtur, occaſio-

ni eſſe poterit, ut rei veritas, omni tamen circumſpectione adhibita, indagetur.

§. 253.

Sin autem delationi exacta ſolum circumſtantiarum enarratio deficiat, judicium poenale ea, quæ haud ſatis perſpicua ſunt, delatoris examine aliaque congrua ſcrutatione dilucidare ſtudeat.

§. 254.

Delator, ut nomen ſuum occultetur, petere poteſt. Ubi tamen in progreſſu ſubſtantiales facti circumſtantiæ falſæ deprehenduntur, incuſato revelator.

§. 255.

Ad omnes præfecturas atque munera pertinet, ut delicta, ſeu ab ipſis obſervata, ſeu iisdem indicata quantocyus ad judicium poenale referant, delinquentes adprehendant, eosque ad judicium poenale transmittant.

§. 256.

Quicumque *a.*) tendentis ad perduellionem, ſeditionem atque tumultum, adulterationem chartarum publicarum, monetam falſam, homicidium, rapinam, atque incendium, conatus notitiam habet, vel *b.*) de ejusmodi delicto recens perpetrato ſuperiores eo tempore, quo id iis nondum innotuiſſe conjicere poteſt, certiores reddere, vel *c.*) ignotum ſuperioribus ejuſcemodi delicti auctorem cum certitudine indicare, vel *d.*) noti quidem aſt profugi, aut latitantis iſtiuſmodi delinquentis commorationem revelare valet, is id illico cum cunctis ſibi cognitis circumſtantiis, judicio pœnali, vel proximæ præfecturæ indicare tenetur.

§. 257.

Qui hoc officium prætermittit, is pœnas legibus politiæ præſcriptas incurret. Quatenus vero certis in caſibus intermiſſio iſthæc tanquam delictum imputetur,

jam

jam ſupra §. 202. uſque ad §. 204. expoſitum eſt.

§. 258.

Conſanguinei tamen delinquentis, tum aſcendentis tum deſcendentis lineæ, ejus conjux, fratres, atque ſorores, conſobrini, atque fratrueles, quique eodem ei affinitatis gradu juncti ſunt, excepto caſu §. 204. expreſſo ob intermiſſam delationem animadverſioni haud ſunt obnoxii.

§. 259.

Simul ac judicio pœnali delictum in ſuo diſtrictu perpetratum innotuerit, non attento eo, an delicti auctor notus ſit, nec ne, corpus delicti nulla interpoſita mora levare tenetur.

§. 260.

Finis hujus indagationis eſt, ut *a.*) delictum perpetratum eſſe liqueat, *b.*) cuncta, quæ ad ulteriorem cauſſæ pertractationem facere queunt, eruantur, atque

c.) incertus forte adhuc delicti auctor detegatur.

§. 261.

Quamobrem indagatio ita inſtituenda eſt, ut, quæ acciderunt, ſecundum cohærentem circumſtantiarum ſeriem, quantum fieri poteſt, accurate explorentur, ea quæ ad augendum vel minuendum delictum faciunt, dilucidentur, & indicia investigentur, quæ ad detegendum reum, complices, eoſve, qui conſcientiam delicti habent, viam pandunt.

§. 262.

Si delictum veſtigia aut in loco, aut in perſona læſa reliquerit, inveſtigatio in eo ipſo loco aut in perſona læſa ſuſcipitor.

§. 263.

Donec delictum judicio pœnali indicatur, & usque dum levatio corporis delicti inſtituitur, veſtigia atque ea omnia, quæ ad pleniorem facti ejuſve conditio-

nis

nis cognitionem faciunt, in eo, quo tempore detecti delicti fuerant, ſtatu, quatenus citra gravioris damni metum fieri poteſt, conſervantor.

§. 264.

Si jurisdictionem adminiſtrans officialis tempore indicationis judicio pœnali factæ abſens foret, aut alia ratione a levando corpore delicti impediretur, alius officialis attamen ad hoc munus obeundum omnino idoneus ablegator.

§. 265.

Præterea huic inveſtigationi duas perſonas judiciales, aut ſaltem duos fide dignos viros e domo aut e vicinia commiſſi delicti tanquam aſſeſſores adeſſe oportet.

§. 266.

Immo ſi delictum tale fuerit, ut ad conditionem ejus e veſtigiis eruendam peritorum in arte aliqua aut ſcientia judicium requiratur, tunc una ejusmodi per-

ſona, ſique nullum fuerit in mora periculum, duæ adhibeantur neceſſe eſt.

§. 267.

Artis peritus alioquin jam vi conditionis ſuæ jurisjurandi religione obſtrictus, ſub fide jurata admonendus eſt, ut veritatem rei curate eruat, atque ea, quæ ſcire neceſſe eſt, religioſe & perſpicue indicet : alias hujus tenoris juramentum ab eo exigendum eſt.

§. 268.

Speciatim cum quis læſus, vulneratus, aut occiſus fuerit, læſus aut occiſus ſollicite inſpici, numerus & conditio vulnerum, an & quatenus quævis plaga aut violatio periculoſa aut quæ lethifera ſit, determinari, inſtrumentum, quo vulneratio aut occiſio effecta eſt, quantum fieri poteſt, denotari, porro an mors neceſſarie ex ipſo facinore, aut ex adjunctis ſecuta fuerit, declarari, denique gradus adhi-

hibitarum insidiarum, violentiæ aut atrocitatis ex detectis vestigiis observari debet.

§. 269.

In delictis, per quæ vi dolove jactura rebus infertur, aut intentatur, vis, dolive, tum mediorum, quibus reus usus est, nec non damni dati certitudo eruenda, simulque perpendendum est, an delictum ab unico committi potuerit, aut quæ opitulatio ex circumstantiis elucescat.

§. 270.

Instrumenta delicto inservientia, objecta delictum præseferentia, res furtivæ, raptæve, aut facinoroso propriæ, quæ in loco delicti relictæ, & in levatione corporis delicti repertæ sunt, prævia descriptione a judicio poenali, quoad fieri potest, adservandæ, possessori tamen literæ acceptum testantes dandæ erunt.

§. 271.

Super instituta oculari inspectione, atque cunctis, quæ hac occasione explorata fuere, accuratum, & completum protocollum conficiatur, & ab assessoribus subscribatur.

§. 272.

Huic protocollo pariter subscripta eorum consignatio, quæ in judicii depositum recepta fuere, nec non adsciti fors artis periti scripta relatio, quam de reperto rei statu exhibere tenetur, adjungatur; sin isthic id, quod reperit, coram proferre malit, hæc indicatio eidem super oculari inspectione confecto protocollo exacte inseratur, ab eoque subscribatur.

§. 273.

Proximum est, ut judicium pœnale læsum, domesticos, eosque omnes, qui optimam notitiam habere pæsumuntur, dieoque ad illustrandas facti circumstantias, atque ad detegendum reum confer-

re valent, plene examinet, eorum dicta protocollo inferat, aut examen eorum, qui alii judicio poenali ſubſunt, provideat.

§. 274.

In hunc finem interrogandus prævie admoneatur, ut dicta ſua probe perpendat, veritatem ingenue indicet, ideoque nec ſuſpicionem fundamento carentem moveat, nec incuſationem augeat, nec notas ſibi circumſtantias reticeat, nec veram rei conditionem minuere ſtudeat.

§. 275.

Mox ei quæſtiones de nomine ſuo, cognomine, ætate, natalium loco, religione ſua, ſtatu ac reliquis omnibus, quæ pro circumſtantiarum ratione de ejus perſona ſcire intereſt, proponendæ ſunt.

§. 276.

Damnum passus interrogandus erit, *a.*) quod damni objectum, quæ vera ejus æstimatio sit, *b.*) quo modo damnum illatum fuerit, *c.*) quid ipse ad avertendum damnum fors egerit, *d.*) quid denique ad ulteriorem investigationem, vel ad obtinendam indemnitatem in medium adferre valeat.

§. 277.

Sin certitudo damni ex læsi indicatione ob absentiam, mentis debilitatem, aut alia impedimenta erui nequiret, aut graves urgeant conjecturæ, eundem in damni indicatione modum excedere, tum in iis speciebus, in quibus delicti qualitas a quantitate damni pendet, vera quantitas interrogatione eorum, quibus damni objectum compertum est, aut si res ferat, per æstimatores ab omni partium studio alienos exploranda erit.

§. 278.

In examinandis domeſticis, aliisque factum conteſtari valentibus, peculiarium, ſub quibus delictum commiſſum eſt, circumſtantiarum ratio habenda erit. Generatim interrogationes ita formantor, ut interrogato haud peculiares circumſtantiæ ſuggerantur, ſed anſa præbeatur ad id, quod de re compertum habet, ſponte ſua indicandum, atque ut id duntaxat, quod ad integritatem narrationis pertinet, ſingularibus quæſtionibus ſuppleatur. Semper vero ratio ſcientiæ perſonæ interrogatæ indaganda erit.

§. 279.

Ei, qui damnum delicto paſſus eſt, nec non alteri cuivis teſti, qui hac in perveſtigatione interrogatus apta ad rem indicat, dicta ſua, prout protocollo inſcribebantur, diſtincte recitanda ſunt, addito, ea jurejurando quoque firmanda eſſe.

§. 280.

Quæ occaſione hujus recitationis a teſtibus monentur, protocollo adnectenda ſunt. Abſolutum protocollum ab examinato ſubſcribendum; ſin ſcribendi imperitus eſſet, ſignum manuale adponendum, ac duorum eum in finem arceſſitorum teſtium ſubſcriptione confirmandum eſt.

§. 281.

Porro a teſte juramentum de veritate & integritate indicationis ſuæ accipitor. Ubi tamen teſti innixa præſenti codici exceptio obſtiterit, hæc juramenti exactio aut omnino aut ſaltem ad ulteriorem rei illuſtrationem usque intermittitor.

§. 282.

Ubi delicti conditio inſpectionem ocularem reſpuit; attamen ejusdem certitudo præſcripto examine teſtium §. 273. memoratorum eruenda eſt.

§. 283.

In caſibus urgentibus, dum corpus delicti a judicio pœnali ob diſtantiam promte levari nequit, adeoque occaſio id levandi elabi, aut ulterior cauſſæ pertractatio impediri aut protrahi poſſet, præfectura loci, in quo delictum commiſſum aut denuntiatum eſt, & ſi illarum plures fuerint, ea, cui tranquillitatis, ordinis & ſecuritatis cura competit, id omne, quod ad promtam inveſtigationem pertinet, modo ſupra præſcripto exequi, & quæ acta ſunt, judicio pœnali transmittere tenetur.

CAPUT III.

De

legitima perpetrati delicti incuſatione.

§. 284.

Nemo, ut de delicto rationem reddat, ſolicitator, niſi incuſatio legitimis ſuffulta eſt indiciis.

§. 285.

Legitima ſunt indicia, quæ talem ad incuſatum relationem habent, ut omnibus circumſtantiis probe perpenſis veriſimilis efficiatur reatus.

§. 286.

Quemadmodum ex inveſtigatione noti jam delicti apta ad detegendum ejusdem auctorem oriri poſſunt indicia; ita ex ipſius quoque perſonæ circumſtantiis legitimum ab ea perpetrati, etſi ſuperioribus eo usque ignoti, delicti, prodere

ſe poteſt indicium, ſi nimirum circumſtantiæ hæ ita comparatæ fuerint, ut eas ad delictum tantum referri omnino probabile ſit.

§. 287.

In ſpecie legitimum ad incuſationem oritur indicium: ſi *a.*) incuſatus ſe ipſum ut delicti auctorem coram præfectura fatetur; *b.*) ſi vehementiorem affectum adverſus læſum prodidit, eique malum poſtea ſecutum comminatus fuit; *c.*) ſi vel ante factum intentionem idem committendi manifeſtavit, ſeu poſt factum ſe id commiſiſſe naravit, aut faſſus eſt; *d.*) ſi epiſtolæ, aut alia ſcripta propria ſua manu èxarata extant, quæ pro naturali, ac proprio eorum ſenſu commiſſum ab eo delictum innuunt; *e.*) ſi is illico poſt factum commiſſum, aut vulgatum fugam dedit, neque alia fugæ adparet cauſſa; *f.*) ſi falſis oſtentationibus ſuſpicionem a ſe amovere, vel alium ſuſpectum reddere

ſtuduit; *g.*) ſi de mediis aut inſtrumentis immediate ad delictum relationem habentibus cum aliquo conſtituit, aut ea revera comparavit; *h.*) ſi in rebus ſuis inſtrumenta, quæ ipſi pro conditionis ſuæ ratione nulli alii uſui, quam ad delictum patrandum deſervire poterant, aut *i.*) ejusmodi objecta, quæ veſtigia, aut ſigna commiſſi facinoris præſeferunt, vel *k.*) e delicto promanant, reperta ſunt; *l.*) ſi incuſatus tempore commiſſi delicti in loco, ubi perpetratum eſt, tale quidpiam agens obſervatus eſt, quod cum delicti executione cohæret; *m.*) ſi ut complex delicti in ſocietate perpetrati a confeſſo hujus delicti complice modo in hoc codice præſcripto proditus eſt; *n.*) ſi jam antehac ſimilis delicti ſub iisdem peculiaribus, quæ nunc iterum concurrunt, circumſtantiis reum ſe fecit; *o.*) ſi deſcriptio alicujus delinquentis per mandata comprehenſoria publicata accurate in incuſa-

tum

tum cadit; *p.*) ſi delicti, quod lucri cauſſa admitti ſolet, incuſatus, alioquin ſiniſtræ famæ homo ultra conditionis ſuæ modum ſumtuoſe vivit, vel plures monetæ ſpecies, quales furto aut rapina ablatæ fuerunt, oſtendit, aut expendit; *q.*) ſi vagabundi aut alias ſuſpecti homines tales res ſecumferunt, vel ad vendendum exhibent, quarum legitima poſſeſſio ipſorum circumſtantiis minime congruit; *r.*) ſi cum incuſatione infanticidii repentina in oculos cadens uteri mutatio, defectus infantis & emergens e perſonæ inſpectione de partu non ita pridem edito certitudo concurrunt.

§. 288.

Perplexi, interrupti ſermones, verſicolor vultus, timor, tremor, animi indoles, cum delinquentibus cognatio, aliæque ſimiles, ambiguæ interpretationi obnoxiæ circumſtantiæ legitimum indicium neutiquam conſtituunt, attamen cum aliis

factum indicantibus momentis probabiliorem efficere possunt incusationem.

§. 289.

Veritas omnium circumstantiarum, e quibus indicia oriuntur, quantum fieri potest, explorari, atque circumstantiae, quibus incusatio nititur, extra dubium poni debent.

§. 290.

Quapropter omnia, quae ad eruendas has circumstantias prodesse possunt, tum examinando personas illarum notitiam habentes, tum instituendo aliam quamcumque aptam investigationem eo prorsus modo perficienda sunt, qui ad detegendum delictum praecendenti capite praescribitur.

§. 291.

Si exploratae per investigationem circumstantiae probabilem suspicionem praebent, apud incusatum res ad delictum relationem habentes, seu in persona ejus

reperiri posse hujus generis vestigia, tunc habitationem ejus, receptacula, atque supellectilem, vel in sua, vel in patrisfamilias præsentia perscrutari, sique necesse fuerit, vestes perquirere, ipsum denique corpus incusati inspicere oportebit. Qua in re tamen ea cautio atque moderatio adhibenda est, ne tranquillitas domestica ultro turbetur, quam conservatio publicæ securitatis & muneris eo tendentis ratio plane exigit.

§. 292.

Ut legitimum sit indicium, haud semper necesse est, ut illud per duos omni exceptione majores testes, vel per ocularem judicii probetur inspectionem. Unus quoque fide dignus testis, sive ipse læsus, sive alius fuerit, sufficit, cum vel de ipsa facti commissione, vel de actionibus cum ea necessario connexis testimonium præbuerit.

§. 293.

Remotiora quoque indicia, atque ſingularia de iis teſtimonia ad legitimam ſufficere poterunt incuſationem, ſi plura eorum tam perfecte in una perſona congruunt, ut alterum altero ſuffulciatur, eorumque connexio nulla contraria circumſtantia infirmetur.

§. 294.

Generatim quodvis indicium & levius in ſe argumentum majorem vim nanciſcitur, ſi incuſatus malæ famæ perſona fuerit, a qua hujusmodi delictum minime eſt alienum.

§. 295.

Complicis delatio tunc tantum legitimum efficit indicium, cum citra certæ perſonæ ſuggeſtionem facta, ideoque ſpontanea, completa, & delatarum circumſtantiarum veritas explorata fuerit.

§. 296.

Sed & ſponte peti poteſt incuſationis perquiſitio ab eo, cujus intereſt, ut ſerpens de eo rumor, facta præfecturæ delatio, aut excitata apud eandem ſuſpicio commiſſi delicti diſcutiatur, partim ne ei temporis lapſu aptæ probationes deficiant, partim ne famæ ſuæ hæreat ſuſpicio; quo caſu judicium poenale, licet ſufficientia ceteroquin haud forent indicia, nihilo ſecius inquiſitionem præſcripto univerſim ordine inſtituere, atque ad finem perducere tenetur.

§. 297.

Ubi quidem indicia ad incuſationem, at ex adverſo etiam elidentes eadem ſeſe produnt circumſtantiæ, hæ non minori fervore explorandæ veniunt. Si porro de aliquo delicti ſuſpicio concepta, & militantium adverſus illum indiciorum exploratio inſtituta fuiſſet, ſed ea occaſione omni fundamento deſtituta adparuerit

ſuſpicio , tunc ultra in eum haud procedendum, quin petenti ad ſui defenſionem & tranquillitatem publicum hac ſuper re teſtimonium edendum erit.

§. 298.

Cum publicæ ſalutis quam plurimum interſit , delinquentes celeriter detegi, poteſtates quoque politicæ ad eum finem una agere obligantur. Hinc indagatio indiciorum non tantum ad pœnalis judicii, ſed ad illius quoque præfecturæ curam pertinet , cui pro ſyſtemate provinciali tranquillitati , ordini, atque ſecuritati in eo diſtrictu, in quo hæc indagatio fieri poteſt, invigilare incumbit.

§. 299.

Cujusvis porro judicii, muneris, aut præfecturæ eſt , ut quidquid ſibi de indiciis ad detegendum delinquentem inſervientibus , vel de circumſtantiis ad exploranda indicia viam aperientibus innotuerit , vel cum judicio pœnali ipſo,

vel

vel cum memorata in præcedenti §. præfectura nulla interpoſita mora communicet.

§. 300.

Judicium pœnale indagationem delatorum ſibi indiciorum iis in caſibus, quibus diſtantia illius teſtibus examinandis prægravis, vel cauſſæ accelerandæ impedimento foret, a memorata politica præfectura petito.

§. 301.

Hiſce in caſibus, ac generatim ſimul ac memoratæ politicæ præfecturæ veſtigia alicujus delinquentis innotuerint, ea non exſpectato judicii poenalis monito, in indicia præſcripto modo inquirere & acta judicio pœnali tradere debet, cui ea, quæ deficiunt, emendare integrum erit.

§. 302.

Nulli judicio poenali, nullique alteri præfecturæ ullo in caſu permiſſum eſt, ſuſpecto, ad graviora indicia vel argu-

menta colligenda, ſive immediate, ſive per alios occulte inſtigatos homines dolos tendere, quibus ad malum ſuum propoſitum executioni dandum, ſeu ad facinus proſequendum, ſeu iterandum alliciatur. De omnibus, quæ ex ejusmodi ſeductione evenerint, præfectura ab poteſtate ſibi præpoſita ad rationes reddendas adigenda, pœnaque coercenda erit.

CAPUT IV.

De comprehenſione et examine ſummario incuſati.

§. 303.

Legitimis indiciis delicti gravatus, aut in ipſo facinore deprehenſus in judicii cuſtodiam ſumitor.

§. 304.

§. 304.

Delinquens in flagranti delicto deprehenſus, ſecundum §. 255. a qualibet, quæ ipſum deprehendit, vel cui ſiſtitur, præfectura, cuſtodiæ mancipandus, &, vel immediate judicio pœnali, vel præfecturæ, cui eo in loco tranquillitatis, ordinis, atque ſecuritatis cura commiſſa eſt, ad ulteriorem ejusdem ad judicium pœnale deportationem tradendus eſt.

§. 305.

Sin incuſatio legitimis nititur indiciis, præfectura, cui in loco, ubi indicium occurrit, tranquillitatis, ordinis atque ſecuritatis cura incumbit, incuſatum, ſiquidem in eodem diſtrictu deprehendi poteſt, comprehendat, vel præfecturam ſub qua commoratur, de comprehenſione admoneat, vel denique profugum, ſi certum veſtigium aut ſpes eundem aſſequendi adfulgeat, perſequatur, & hiſce modis comprehenſum cum omnibus, quæ relate ad

ip-

ipſum obvenere vel acta fuere, nulla interpoſita mora ad judicium pœnale transmittat.

§. 306.

Adprehenſio atque cuſtodia ea cautione inſtituitor, ut incuſatus elabi haud poſſit, ſimul tamen, quantum fieri poteſt, ut bonæ ipſius exiſtimationi, atque perſonæ parcatur, attenditor. Igitur tunc tantum, cum reſiſtit, aut fugam adornat, neceſſaria adverſus eum vis adhibenda erit.

§. 307.

Simul ac incuſatus a judicio pœnali adprehenditur, aut eidem ſiſtitur, id *a.*) rationem capturæ, indiciaque, quibus ea nititur, *b.*) exactam formæ ipſius externæ, veſtimentorumque deſcriptionem protocollo inferre, porro *c.*) veſtes comprehenſi, ceteraque, quæ attulit, ea exactitudine, ne quidquam lateat, perſcrutari debet.

§. 308.

§. 308.

Documenta, pecunia, aliave metalla tum arma, aut inſtrumenta, quibus comprehenſus ſe liberare, vel vim ſibi inferre poſſet, nec non objecta aut veſtigia delicti hac perſcrutatione reperta incuſato adimenda, & in judicii pœnalis cuſtodiam recipienda ſunt.

§. 309.

Protinus nullaque interpoſita mora comprehenſus examini ſummario ſubjicitor.

§. 310.

Principio examinis de veritate dicenda ſerio admonendus eſt, partim quod ad eam detegendam lege obligetur, partim quod mendacii pœnam daturus, ac præterea ob elucentem inde malitiam delicti ipſius poena augmentum captura foret.

§. 311.

Poſt hæc de nomine & cognomine ſuo, ætate, natalium loco, de parentibus ſuis,

an

an matrimonio junctus ſit, tum de conjuge, de liberis, de vitæ ſuſtentandæ modo, de poſtremo commorationis loco, an jam olim in carceribus detentus fuerit, & denique de cauſſa præſentis comprehenſionis interrogator.

§. 312.

Si ad propoſitas quæſtiones aut omnino non reſpondeat, aut reſponſa in alia plane ad rem minime pertinentia objecta detorqueat, rurſus eidem declarator, contumaci ſilentio aut pervicacia hac cauſſam ſuam deteriorem futuram; ſi perſiſtat, in carcerem mittitor.

§. 313.

Si comprehenſus cauſſam adprehenſionis ſuæ ignotam ſibi eſſe perhibuerit, tum imputatum delictum ac militantia adverſus eundem indicia eatenus ipſi manifeſtantor, ut neceſſariam omnino incuſationis cognitionem obtineat.

§. 314.

§. 314.

Ubi delictum, cujus incuſatus eſt, inficiatur, de eo, quod ad probandam innocentiam ſuam in medium adferre, in ſpecie vero, an, reſpectu ad tempus locumque delicti habito, id a ſe nequaquam committi potuiſſe, docere valeat, interrogandus eſt.

§. 315.

Quando fatetur delictum, confeſſio ſine examinis interruptione ita excipienda eſt, ut completam occaſionis, decreti, ſuſcepti, ac conſummati delicti narrationem contineat.

§. 316.

Cum comprehenſus delicta fatetur, quorum nulla hactenus exſtant indicia; eorum quoque confeſſio integre adnotanda eſt.

§. 317.

§. 317.

Ubi facti circumſtantiæ arguunt, plures eſſe ejusdem participes, de his quoque comprehenſus interrogator.

§. 318.

Singulæ quæſtiones & examinati ad eas reſponſiones continua numerorum ſerie protocollo inferantur.

§. 319.

Examinato reſponſa ſua actuario dictare integrum eſto.

§. 320.

Sin hac facultate non utatur, tum officialis judicii pœnalis exceptum ad ſingulam quæſtionem reſponſum, retentis examinato propriis expreſſionibus, actuario ea ratione dictet, ut examinatus quodvis verbum probe percipere valeat. Quodvis reſponſum ſimulac adnotatum fuerit, examinato prælegendum, isque an fidelis ſit adnotatio, interrogandus erit. Cum quid mutandum monet, id ſigillatim, citra

tra ejus, quod ſcriptum fuerat, mutationem, protocollo inſertor.

§. 321.

Examinatus unumquodque protoccolli folium ſubſcribere, vel ſi ſcribendi imperitus eſſet, familiare ſibi ſubnotandi ſignum adponere, ad calcem vero protocolli præſentes examini judiciales perſonæ ac aſſeſſores examinati ſubſcriptionem, aut ſubſignationem, ſubſcriptione ſua confirmare tenentur.

§. 322.

In ſummario examine qualitas reſponſorum ad propoſitas quæſtiones non ponderanda, nec, an cum indiciis compertis congruant, diſcutiendum eſt. Sed nec reſponſum examinato ſuggerere, nec caſtigationem, ſeu comminationem, pollicitationem, aut quamcumque aliam, etſi bona mente excogitatam artem adhibere licet, quibus ad alias, quam

ſponte edere vult, reſponſiones permoveatur.

§. 323.

Si locus adprehenſionis a loco judicii poenalis tam longe diſtat, ut comprehenſus intervallo duodecim horarum eidem ſiſti nequeat; tum præfectura, cui in adprehenſionis loco tranquillitatis, ordinis, atque ſecuritatis cura commiſſa eſt, ſummarium examen norma præſenti inſtituet, & protocollum cum omnibus ſub cuſtodiam receptis rebus, occaſione deportationis comprehenſi ad judicium poenale transmittet. Quo caſu ſufficit, ut judicium poenale ipſum hoc a politica præfectura formatum protocollum deportato, quatenus dicta ejus continet, prælegat, eum, quid adjungi vel mutari velit, interroget, datumque ab eo reſponſum, modo §§. 319. 320. & 321. indicato, protocollo ſubjungat.

§. 324.

Si incuſatus fixum habet domicilium, & ex actis hactenus haud adparet, foro ejus civili incarcerationem alioquin jam compertam eſſe, ea huic foro a judicio pœnali eum in finem nuntiator, ut de officiis detento incumbentibus opportune diſponatur.

§. 325.

Cum officialis publicus, clericus, membrum ſtatuum provinciæ aut univerſitatis incarceratur, res peracto ſummario examine a judicio pœnali mox tribunali ſuperiori indicator, ut ab hoc rurſus illi poteſtati, ſub qua incarceratus munus gerit, epiſcopo, collegio ſtatuum provincialium, aut univerſitati nuntietur.

§. 326.

In iis quoque ſpeciebus, quibus incarceratus ſecundum §. 244. alteri judicio extradendus eſt, tamen prævie exa-

men ſummarium excipiendum, atque in tranſmiſſione incarcerati exhibendum eſt.

§. 327.

Cum comprehenſus perduellionis, adulteratarum chartarum publicarum, falſæ monetæ, aut alterius ob late ſparſos complices communi ſecuritati noxii delicti incuſatur, judicium poenale rem illico circuli capitaneo indicato, ut, quod ſalus publica interim depoſcere videtur, diſponi, & pro circumſtantiarum ratione res ad poteſtatem politicam provinciæ referri queat.

§. 328.

Si *a.*) incuſatio civile aut criminale quidem, ſed ejusmodi delictum concernat, cui ex lege unius ad ſummum anni poena imminet, ſi præterea *b.*) incuſatus nota, fugæ nequaquam ſuſpecta, & integræ eo uſque famæ perſona fuerit, & *c.*) ejus libertate inquiſitionem impeditum iri metuendum non ſit; tunc adverſus

ſus incuſatum citra incarcerationem procedendum, judicio poenali tamen ab incuſato fides danda eſt, ſe nec domicilium ſuum uſque ad cauſſæ exitum mutaturum, nec latitaturum, ſed ad quamlibet citationem coram judicio compariturum eſſe.

CAPUT V.

De carceribus

§. 329.

Comprehenſos diverſi ſexus ſeparari, generatim ſingulos, quantum fieri poteſt, in privos, immo qui complices eſſe arguuntur, in ſat diſtantes a ſe invicem carceres includi, ideoque in quovis judicio poenali congruum huic ſeparationi & jurisdictionis diſtrictui carcerum numerum præſto eſſe oportet.

§. 330.

Unusquisque carcer ſufficienti aere, luce, & tanto ſaltem ſpatio, ut comprehenſus commeare queat, præditus, ſiccus porro, mundus, in ſumma ita comparatus ſit, ut valetudo comprehenſi nulli periculo, nec is ulli alii malo exponatur, quam quod ad perſonam ſub cuſtodia tenendam, fugamque impediendam neceſſarium eſt.

§. 331.

Generatim ratione carcerum, quantum nimirum ædificii ſitus, aliæque circumſtantiæ permittunt, ſequentia attendantur: *a.*) feneſtra, qer quam aer, & lux immittitur, non in viam patentem, ſed in aulam aut commeatum ſpectet, & ea altitudine collocetur, ut nec extrinſecus in carcerem quis inſpicere, nec comprehenſus ex eodem proſpicere, nec ſermonem cum quodam conferre poſſit. Feneſtra quoque ſolidis atque denſis munita

ta ſit clathris, ne ſcilicet per eam vel comprehenſus evadere, vel quis exterus quidpiam injicere valeat. *b.*) Ubi muri, aut non ſatis denſi, aut non perfecte ſicci fuerint, intus aſſeribus ſolidis obducendi ſunt. *c.*) Janua e duplicatis aſſeribus ſtruatur, & extrinſecus binis ſuperne & inferne firmatis ferreis repagulis obfirmata, binis item ferreis pendulis obſtructa ſit. Januæ oſtiolum, quod obſerari & non niſi extrinſecus reſerari poſſit, eum in finem exſcindatur, ut aer recens carcerem quandoque permeare, & comprehenſus omni tempore, quin janua ipſa aperiatur, a carcerario obſervari queat; *d.*) Carceres, quoad neceſſe fuerit, fornacibus inſtrui, aſt ne comprehenſus elabatur, eas æque ac fumarium perticis ferreis muniri, & januam fornicalem probe obſeratam teneri oportet. *e.*) Ad cubandum lectus roboreus præſto ſit, ita comparatus, ut, ubi res poſtulat, comprehenſus cate-

nis alligari valeat. *f.*) In quolibet carcere lapides centennarii ſaltem ponderis, aut ferrei parieti, ſeu pavimento firmiter infixi ſolidi circuli præſto eſſe debent, quo comprehenſus, ſi neceſſe fuerit, iis adligari queat. *g.*) Singuli carceres ſuis diſcernantur numeris, ut ordo in iis aſſignandis, viſitandis, aliisque curandis ſervari poſſit.

§. 332.

Modum cuſtodiæ, an nimirum comprehenſus diu noctuque ſine vinculis relinqui, an vero nocte lecto roboreo advinciri, vel continuo vinculis pedibus aut etiam manibus injectis teneri, an lapidi in carcere exſtanti, vel circulo adligari debeat, judicium pœnale pro circumſtantiarum ratione aeſtimato. Qua in re id generatim tenendum eſt, ut gravis delicti, cui mors aut perpetuus carcer imminet, incuſati, aut iteratis vicibus ob criminale delictum incarcerati, aut fugam

mo-

moliti in vincula conjiciendi, quin immo catenæ adligandi ſint. In reliquis judicium poenale delicti & indiciorum gravitatem, comprehenſi indolem, corporisque robur, tum modum, quo ſe in transmiſſione geſſerat, reſpicito. Id tamen ſemper ante oculos verſari debet, nihil quidem ex iis, quæ ad impediendam fugam neceſſaria ſunt, prætermittendum, comprehenſum tamen omni ea, quæ cum ſecuritate conſiſtere poteſt, lenitudine tractandum eſſe.

§. 333.

Liberum eſto judicio poenali pendente inquiſitione, cum emergentes inde circumſtantiæ aut carcerarii de moribus incarcerati relatio id exigere videtur, carcerem aut præcautionis media mutare. Carceris mutatio tunc præprimis neceſſaria erit, quando duorum prope ad invicem incarceratorum nocua inquiſitioni

colloquia, ſeu colluſiones, aut fugæ molimina detegerentur.

§. 334.

Durante inquiſitione incarcerato conceditur, ex propriis, quantum ſibi placuerit, in alimenta impendere, immo & ab aliis ſubſidia percipere, aut operis pecuniam lucrari, eamque in meliorem ſui ſuſtentationem convertere. Attamen *a.*) nec immoderatus ei cibi & potus uſus, nec *b.*) alius, quam qui in domo cuſtodiæ coquitur, cibus, nec denique *c.*) pecunia ſub manibus permittitur; ſed omne id, quod aliena ope aut propria induſtria conquiritur, ipſi judicio pœnali tradendum, & ab hoc incarcerato alimenta ſuppeditanda ſunt.

§. 335.

Deficientibus in §. præcedenti recenſitis ſubſidiis incarceratus a judicio pœnali pane & aqua, & quotidie uno calido cibo nutritor.

§. 336.

Porro incarcerato, quatenus præſenti ejus ſtatui convenit, veſtimentis propriis uti, & ea proprio labore vel alieno beneficio comparare licet. Præter id tamen, quod mox in §. 334. de pecunia monitum eſt, ea quoque, ne occulti quidquam ſubminiſtretur, cautione opus eſt, ut nullum eidem veſtimentum, priusquam in judicio poenali perveſtigatum fuerit, præbeatur.

§. 337.

Indigenti judicium poenale neceſſaria omnino veſtimenta ſuppeditato. Idem generatim ratione pauperum incarceratorum curam habeto, ne, quæ ſecum adtulerunt, veſtimenta durante incarceratione penitus adterant, neve finito proceſſu neceſſario amictu careant. Quamobrem hujusmodi comprehenſis veſtes, quarum non indigent, demendæ, & prævia, ne quid perdatur, aut per-

mu-

mutetur, consignatione in loco judicii pœnalis interim adservandæ sunt.

§. 338.

Si comprehensus proprio lecto, quo in carcere uti posset, destituatur; judicium poenale saccum stramento refertum, atque tegmentum, seu ita dictam amphitapam, ei subministrato.

§. 339.

Comprehenso quævis manus opera, atque occupatio conceditor, quatenus cum custodia consistere potest, & verosimiliter nec fugæ, nec sui ipsius læsioni occasionem præbet.

§. 340.

Fumi ex nigotiana haustus, & luminis accensi usus, aut quidquid aliud flammam excitare posset, comprehenso nequaquam permittitor. Quod vero ad corporis munditiem necessarium est, procurator.

§. 341.

§. 341.

Si comprehensſus in morbum inciderit, aut incarcerata partui edendo proxima fuerit, carcerarius rem illico judicio pœnali indicato, ut citra moram omne ſubſidium, quod humanitas poſtulat, procurari poſſit; nec tamen alius medicus aut obſtetrix, quam qui peculiariter ad id conſtituti ſunt, adhibeantur, nec neceſſaria fugæ cautio negligatur.

§. 342.

Ubi comprehenſus medici judicio in mortis periculo verſatur, is, cui animæ curam gerere peculiariter commiſſum eſt, ad ferendum ſpirituale ſubſidium admittitor.

§. 343.

Comprehenſum adire, colloquium cum ipſo ſerere, niſi cum peculiari pœnalis judicii facultate, & in præſentia talis officialis, qui linguam, in qua hi colloquuntur, intelligit, nemini fas

eſto

esto. Sed nec nuntium alii mittere, nec ab alio aliter accipere permittitor, quam oretenus, idque per ipsum duntaxat poenale judicium.

§. 344.

Constitutus a criminali judicio carcerarius concreditas sibi carcerum claves e manibus suis nunquam dimittat. Quod si alia muneris sui parte, vel adversa valetudine a comprehensorum cura ad tempus impediatur, claves illi duntaxat personae tradat, quam judicium poenale pari obligatione expresse denominaverit.

§. 345.

Cum comprehenso vincula imponenda, aut is insuper catenae alligandus, id praesente carcerario omni cautela perfici, nec alias catenas adhiberi oportet, quam quibus faber, a quo confectae fuerant, nomen suum inciderit.

§. 346.

Carcerarius quotidie unumquemque carcerem, in quo comprehenſus exiſtit, parietes, fornaces, januas, feneſtras, lectos denique probe perluſtret, an non attentatæ a comprehenſo ad fugam præparationis veſtigia deprehendat. Pari ratione vincula, an non vis circa eadem adhibitæ ſigna exhibeant, inſpiciat. Si quid horum detegat, mox judicio poenali indicato.

§. 347.

Dum comprehenſo alimenta adferuntur, carcerarius præſens eſſe, probeque invigilare debet, ne ipſi occaſione iſthac clam aliud quidpiam ſubminiſtretur.

§. 348.

Carcerarius carcerem accedens præcipue talem, in quo audaces, aut urgente neceſſitate plures una adſervantur comprehenſi, ſocium adſciſcat. Eadem caute-

tela comprehenſus ad judicium ducatur. Si carcerem de nocte inviſere neceſſe fuerit, id nunquam aperto lumine, ſed laterna adhibita fieri debet.

§. 349.

Carcerario ſub gravi poena interdicitur, ut ne cum comprehenſo de ejus circumſtantiis, admiſſove crimine colloquatur, aut ſub quocumque prætextu vel leviſſimum ab eo munus accipiat. Præter caſum defenſionis comprehenſo ſponte ſua manus haud injiciat; aſt quos ſermones, quæve facta, animadverſione exiſtimarit digna, ſine mora ad judicium poenale referat.

§. 350.

Quemadmodum comprehenſus tam a judicio, quam a carcerario generatim omni, qua fieri poteſt, moderatione, lenitate, atque decentia tractari, ita & is ex ſua parte modeſtum ſe gerere, atque in omnibus, quae diſciplinam, & mun-

di-

ditiem domus concernunt, obedientem ſe exhibere debet.

§. 351.

Si comprehenſus indecentem aut contumacem ſe exhibuerit, a judicio poenali poena reatui convenienti, ſcilicet aut ictibus, quorum tamen numerus viginti nunquam excedere poterit, aut unius diei jejunio in pane & aqua, aut graviorum vinculorum impoſitione, aut denique arctiori catenæ adligatione coercetor.

§. 352.

Si fugam attentaſſet; judicium poenale nulla interpoſita mora ea, quæ exſtant, veſtigia inſpicere, eum hac de re examinare, atque illico pro circumſtantiarum ratione uni alterive ex iis, quæ §. præcedenti recenſitæ ſunt, poenis ſubjicere debet; quo caſu ictuum numerus ad quinquaginta, & jejunium ad plures non tamen continuos dies dictari poterit. Inſuper vero apta ad diſturbandum com-

prehensi propositum media adhibenda erunt. Ceterum qua ratione illi comprehensi, qui sibi invicem occasionem ad fugam fraude vel vi faciliorem reddunt, delicti se criminalis reos faciant, superius jam capite vigesimo quarto partis primæ continetur.

§. 353.

Super iis, quæ tenore præcedentium duorum §. §. acta fuerint, protocollum concipiendum, & ad acta inquisitionis comprehensum concernentia ponendum erit.

§. 354.

Carcerarius super omnibus comprehensis curæ suæ commissis accuratum protocollum in promtu habere debet. Rubricæ hujus protocolli sunt:

a.) numerus, sub quo reus custodiæ mancipatus fuit. Numerus hic in serie ab initio usque ad finem anni progreditur. Sub finem anni comprehensi, qui in carcere remanserunt, in protocollum sequen-

tis

tis anni juxta ordinem, quo priori inſerti fuerant, inchoata iterum numerorum ſerie tranſcribuntur;

b.) dies, quo reus cuſtodiæ traditus eſt;

c.) nomen præfecturæ, per quam adprehenſus fuerat;

d.) nomen & cognomen comprehenſi;

e.) numerus carceris, & peculiares forte cautelæ, ſub quibus cuſtodia durat;

f.) mores comprehenſi in cuſtodia;

g.) dies denique, & modus, quo e cuſtodia egreſſus ſit, ſcilicet an morte, fuga, dimiſſione aut alia ſententia.

§. 355.

Poenalis judicii erit, carceres ſubinde, & ſemel ad minimum menſe quolibet ex inopinato inveſtigare, an præſcripta exacte obſerventur, examinare, defectus corrigere, omne id denique procurare, quod ad ſecuritatem, bonum ordinem,

disciplinam, atque munditiem in carceribus introducendam, atque conſervandam, tum ad ipſorum, quoad licet, comprehenſorum ſortem leniendam aptum eſt. Præprimis autem in hac inveſtigatione comprehenſos de modo, quo a carcerario tractantur, ſeorſum interrogari, huncque, ſi juſtæ inveniantur querelæ, ſevere puniri oportet.

CAPUT VI.

De proceſſu inquiſitorio ordinario.

§. 356.

Præcipuus judicii inquiſitorii ſcopus eſt, reatum aut innocentiam tanta diligentia excutere, ut quam tutiſſime ſententia ferri queat.

§. 357.

§. 357.

Hinc judicium poenale ſingulas ad delictum, cujus inquirendus incuſatur, pertinentes circumſtantias, cuncta ejus defenſioni inſervientia momenta, omnes porro, quæ delictum augent, aut reatum imminuunt, adtributiones integre, ac ſedulo detegere & extra dubium ponere, denique in ea, quæ durante hac tractatione demum innoteſcunt, non minus ac in ea, quæ comprehenſionis tempore jam cognita fuerunt, delicta inquirere debet.

§. 358.

Quatenus itaque delictum, & gradus culpæ incuſati, aut quæ ad ejus defenſionem pertinent, præſcriptis in anterioribus capitibus mediis ad liquidum nondum perducta ſunt, judicii pœnalis eſt, examine incuſati atque teſtium, inſpectione judiciali, conquiſitione documentorum, & omnimoda rei illuſtratione inquiſitionem perficere.

§. 359.

Cum innocentiæ defenſio inter ipſa judicii poenalis officia referatur, incuſatus nec advocatum ſeu defenſorem, nec, ut indicia ſibi exhibeantur, poſtulare poteſt. Aſt præterquam quod mox poſt comprehenſionem juxta §. 313. de incuſatione, quantum neceſſe fuerit, edocendus ſit, liberum quoque eidem eſt, toto inquiſitionis tempore ea omnia ſuppeditare, quæ ſuæ defenſioni inſervire judicaverit.

§. 360.

Ulterior inquiſitionis finis eſt: *a.*) complices, atque participes delicti detegere; *b.*) iis, qui delicto damnum paſſi fuere, indemnitatem procurare. Igitur hæc quoque partem officii, in §. 358. judicio poenali impoſiti, efficiunt.

§. 361.

Cura porro danda est judicio poenali, ut omnis inquisitio, quantum scopus ejusdem admiserit, praesertim vero eorum delictorum, quae insigne populo scandalum dederint, acceleretur.

§. 362.

Inquisitio tunc quoque omni cura maturanda est, cum de levioribus delictis agitur, quorum protracta inquisitio efficeret, ut detentio in custodia gravior accidat, quam ipsa delicto adsignata poena.

§. 363.

Si adversus comprehensum alterius delicti praeter id, ob quod comprehensus fuit, nulla se prodiderint indicia, nec is ipse plura, quam quorum incusatus est, fassus fuerit delicta, ob solam aliorum ignotorum hactenus facinorum suspicionem inquisitio minime protrahitor.

§. 364.

Ubi gravi, quod reus fassus est, delicto poena mortis, aut minimum decennalis carceris imminet; propter leviora delicta haud protelanda est inquisitio, si ea ambagibus obnoxia foret, & tamen ob delicti conditionem aut comprehensi egestatem nulla locum habeat indemnitas.

§. 365.

Tametsi omni studio urgenda sit complicum nominatio, præsertim si circumstantiæ innuant, delictum nonnisi aliorum auxilio commissum, aut comprehensum facinorosæ catervæ membrum fuisse; tamen processus tantum ob complices jam comprehensos, & nonnisi eatenus interrumpitor, quatenus probatio contra hunc comprehensum e complicum testimoniis petenda est.

§. 366.

In iis delictis, quibus poena mortis aut perpetui carceris inſtat, & quorum inſuper ad rempublicam relatio omnem curam exigit, ut occulta facta atque complices detegantur, inquiſitio terminanda haud eſt, quoad circumſtantiæ firmam ſpem de comperiendis pluribus delictis aut ſociis ſuppeditant.

§. 367.

Judicio poenali fas eſt, de omnibus jurisdictioni ſuæ commiſſis negotiis cum quavis poteſtate politica aut quovis juſtitiæ tribunali litteris requiſitorialibus per ſeſe communicare. Cuivis porro poteſtati obligatio incumbit judicia poenalia adjuvandi, id, quod ad ſe pervenit, & muneris ſui ambitu continetur, vi officii exequendi, & de his aut de obſtantibus forte impedimentis reſponſum & nuntium quam promtiſſime mittendi. Animadver-

ſa in his negligentia aut mora a judicio poenali ad tribunal ſuperius deferenda eſt, ut poteſtas moroſa ab ea, cui ſubjecta eſt, ad muneris ſui expletionem, aut ad rationes moræ ſuæ reddendas adigatur, aut, ſi res poſtulat, poena coerceatur. Quod ſi judicium poenale officium hocce prætermiſerit, mora aliena ſe ultra excuſare haud poterit.

§. 368.

Ratione cujusvis comprehenſi ſub eo numero, quo juxta §. 354. comprehenſorum protocollo inſcriptus fuit, a judicio poenali liber actorum diurnorum conficitor. In hoc a tempore capturæ inchoando ſingulis diebus annotator, quid in hac cauſſa occurrerit, quid exhibitum, quid actum fuerit. Ad hujus libri ductum omnes inquiſitionem tangentes literas requiſitoriales, reſponſa, inſtrumenta, protocolla, ea, qua increverant, ſerie, in cubiculo, in

quo

quo jus dicitur, una probe adſervari & exacte conſignari oportet.

§. 369.

Immo licet nulla adhuc certa perſona delicti incuſetur, aut incuſatus fugam dederit, vel liber a cuſtodia inquiratur, nihiloſecius librum actorum diurnorum ſupra dicto modo & ſub eo numero, ſub quo inquiſitio eodem anno inchoata fuit, confici, actaque adſervari oportet.

CAPUT VII.

De examine inquiſiti ordinario.

§. 370.

Quidquid inquiſitus in ſummario examine in favorem aut in diſpendium ſuum adlegavit, id, ſiquidem delictum reſpiciat, & non alioquin jam indagatum fuerit, citra moram & eodem modo, qui de delicti & indiciorum inveſtigatione in præceden-

tibus

ſibus capitibus præſcriptus eſt, ad liquidum perducitor.

§. 371.

Si incuſatus jam in examine ſummario innocentiam ſuam demonſtraverit, vel delictum plene confeſſus fuerit, & demonſtratio innocentiæ aut confeſſio delicti cum iis, quæ explorata fuere, tam perfecte convenerit, ut nullum de facto, ejusque imputatione, de complicibus, atque indemnitate ſuperſit dubium; inquiſitio inani examinis repetitione haud protrahenda, verum proceſſus finiendus eſt. Et priori quidem in caſu innocens erga ſponſionem de non diſcedendo a loco commorationis ſuæ, donec lata fuerit ſententia, e carcere dimittatur; poſteriori vero caſu delictum faſſus peræque, ac finito examine ordinario infra præſcribitur, de perpendendis & proferendis defenſionis ſuæ momentis admoneatur.

§. 372.

§. 372.

Contra ſi res examine ſummario nondum confecta, ſcilicet, ſi dicta incuſati, cum reliquis circumſtantiis collata, obſcura, manca, ad elidenda indicia haud ſufficientia, aut ſubſequæ inveſtigationes iisdem non omnino conſentaneæ fuerint; vel ſi ex circumſtantiarum connexione gravia prodeant momenta incuſatum plurium incognitorum hucusque delictorum participem aut plurium reorum complicem eſſe, tunc judicium pœnale ad examen incuſati ordinarium progredi debet.

§. 373.

Ad hoc examen rite inſtituendum is, cui inquiſitio incumbit, officialis occurrentes in præcedentibus actis circumſtantias, tum objecta, quæ majus lumen deſiderant, probe perpendat, de aptiſſima veritatem ex incuſato comperiendi, ratione, mature deliberet, atque collineantes

eo quæstiones, ut plene instructus ad examen procedere valeat, prævie conficiat.

§. 374.

Quæstiones generales cum supra §. 311. recensitis coincidunt. Earum repetitio, quatenus examine summario jam extra dubium positæ fuerunt, omitti potest. Sin autem data in eo responsio suspecta est, aut delictorum, indiciorumve caussa interest, ut de circumstantiis incusati, de familia, vita ante acta, consuetudine cum aliis, successivis commorationibus, de ratione vitæ hactenus sustentatæ, ac de acquisitis facultatibus plenius constet; tunc sane quæstiones eo pertinentes proponendæ erunt, ut earum elucubratione firmum posthac judicium inniti vel incusatus, si in inficiatione aut in falsis excusationibus præsidium quærat, arctius stringi & ex propria confessione convinci queat.

§. 375.

Quæstiones speciales ex peculiaribus caussæ inquirendæ circumstantiis hauriuntor. Earum scopus est, ut interrogatus ad factum genuinis cum circumstantiis manifestandum, aut ad infirmandam, qua gravatur, incusationem perducatur. Præcipua in concipiendis quæstionibus specialibus momenta sunt: *a.*) ut singulæ ad rem pertineant, nec inutilia nec inepta contineant; *b.*) ut quæstiones simul sumtæ huc facientes circumstantias intentionis, motivorum, loci, temporis, modi, mediorum adhibitorum, reiterationis, & auxilii penitus exhauriant; *c.*) ne ambiguæ aut captiosæ, sed breves, claræ sint, & singulæ nonnisi unam circumstantiam contineant, ideoque interrogatus eas bene intelligere, & ad eas distincte respondere possit; *d.*) ut quæstionum una ex altera eo ordine fluat, quo conceptus & circumstantiæ se mutuo consequuntur;

e.)

e.) ne jam ipſa quæſtio circumſtantias indicet, atque ſuggerat, quæ ab interrogato demum, ſi ſincerus foret, manifeſtandæ eſſent; *f.*) ut interrogatus in reſponſis calliditatem prodens ſenſim & pedetentim gravioribus indiciis & argumentis ſtringatur, ſicque ipſe animo ſentire poſſit, inficiationem ſuam illucentibus jam probationibus fruſtra opponi. Expreſſa in quæſtionibus ad exſtantes probationes provocatione tunc tantum opus eſt, cum incuſatus in reſponſione ſua iisdem contradicere præſumit, quo caſu militantes contra ipſum probationes eidem ob oculos ponendæ, teſtes nominandi, & præcipui ex eorum teſtimoniis articuli prælegendi erunt; *g.*) ut interrogationes, quæ complices tangunt, ſimul ad exactam eorum deſcriptionem obtinendam tendant. Ex principiis §. 357. & 358. ſtabilitis porro *h.*) quæſtiones peræque ad ea illuſtranda & firmanda dirigantur, quæ

ad

ad defenſionem & innocentiam, aut ſaltem ad minuendam culpam incuſati faciunt. Denique *i.*) ex §. 360. id omne quoque interrogationum objectum erit, quod per delictum læſo, aut damnum paſſo ad obtinendam ſatisfactionem, atque indemnitatem viam aperire, eamque faciliorem reddere poteſt.

§. 376.

Examen ordinarium præſentibus iisdem perſonis, quæ vi §. 319. ſummario interfuere, inſtituitor. Gravioribus tantum de cauſſis adſeſſores mutari fas eſt.

§. 377.

Judicium poenale, quamprimum fieri poteſt, examen inchoet, inchoatum vero absque gravi impedimento longiori tempore haud interrumpat. Cauſſæ, ob quas id ſeu tardius inchoatum, ſeu diutius interruptum fuit, in protocollo fideliter ſemper adnotandæ ſunt. Liberum e contrario poenali judicio eſto, examen

quovis die, quavis hora, toties, ac tamdiu continuare, quoad e re visum fuerit. Speciatim vero examen tum haud intermittitor, cum interrogatus in eo est, ut delictum sincere fateatur, vel innocentiam suam cohaerenter demonstret, porro cum observatum fuerit, eundem propositis quaestionibus eo redactum esse, ut veritatem declinare ultra haud possit, aut praesentem saltem detegendi propiora veritatis indicia adesse occasionem.

§. 378.

Si incusatus eam duntaxat linguam loquitur, quam inquirens officialis non callet, examini interpres linguam eandem legendi aeque, ac scribendi probe gnarus, adsciscendus, sique fieri possit, unus saltem linguae ejusdem gnarus assessor adhibendus erit. Interpres praevie juramento obstringitor, se quaestiones ex ore officialis, tum responsiones ex ore interrogati exceptas, absque ulla mutatione,

ac-

accurate, & fideliter verſurum, & cuncta ea prorſus, qua percepta ſunt, ratione nec addendo quidquam, nec demendo ſcriptis eſſe mandaturum. Quod ſi ejusmodi interpres in judicii pœnalis diſtrictu non inveniatur, res ad tribunal ſuperius refertor, ut id interpretem ad judicium pœnale deleget, aut incuſatum ad aliud judicium pœnale, in qua linguæ illius gnaræ perſonæ judiciales præſto ſunt, deportari curet.

§. 379.

Si incuſatus mutus, ſcribendi tamen peritus fuerit; quælibet ei quæſtio ore aut litteris proponenda, & ſcriptum ab eo reſponſum petendum eſt. Incuſato ſurdo, qui tamen legere & loqui potis eſt, quæſtio ſcripto exhibetor, ut eam ipſemet legere, & ad eam reſpondere valeat. Si mutus ſcribendi, ſurdus legendi foret imperitus, vel ſi incuſatus mutus æque, ac ſurdus fuerit, id tribu-

nali ſuperiori indicari, ejusque juſſum præſtolari oportet.

§. 380.

Examen placide & decenter excipitor.

§. 381.

Super examine protocollum conficitor, idque foliis mediatis, continue, licet examen in interruptis ſeſſionibus exceptum fuerit, inſcribitor. In hujus primordio, uti etiam in qualibet ulteriori ſeſſione, dies, ac hora, qua inchoabatur, unacum perſonis examini præſentibus, ad calcem vero hora terminatæ ſeſſionis annotator. Columnæ ſiniſtræ propoſita quæſtio ad verbum, dexteræ vero datum ad eam reſponſum inſcribitor. Quod ſi juxta §. 378. interpres adhibitus fuerit, primum quæſtio in lingua vernacula judicii, ſubque ea verbis conſentiens verſio, & pariter reſponſio primum in lingua incuſati, & mox ſubtus quodvis verbum exprimens verſio calamo exci-

pi-

pienda eſt. Cuivis quæſtioni continuus per totum examen numerus adſcribitur, & ſingulum reſponſum numero quæſtioni, ad quam pertinet, proprio inſignitur.

§. 382.

Quidquid interrogatus reſponderit, ſive ad culpam, ſive ad ejus defenſionem faciat, protocollo inſeritor. Modus reſponſa litteris conſignandi idem eſto, qui §§. 319. & 320. in ſummario examine præſcribitur.

§. 383.

Interrogatus in nimiam reſponſorum feſtinationem non conjicitor. Quæſtio, quam haud perfecte capere videtur, eidem repetitor. Ea reiteratione tunc præprimis opus eſt, cum reſponſum quæſtioni non congruit; quo caſu nonniſi repetitum, licet haud congruum reſponſum, protocollo inferri debet. In quæſtionibus, quæ peculiares circumſtantias aut longius abhinc tempus reſpiciunt, ad rem

probe in memoriam revocandam interrogato ſpatium indulgetor. Si examen ea propter diutius interrumpitur, hæc circumſtantia in protocollo adnotator.

§. 384.

Si incuſatus metu ac anxietate de mentis ſtatu ac animi præſentia dejiciatur, hicque angor ex reatus conſcientia provenire videatur, judicium veritatis manifeſtationem decenti gravitate urgeat. Id porro, ac generatim, quotiescunque occaſione quæſtionis aut reſponſionis peculiaris mentis concuſſio, & inſignes motus in examinato obſervantur, vere ac integre in protocollo adnotandum erit.

§. 385.

Ubi reſponſum inſignem mentis perturbationem præſefert, judicium pœnale comprehenſum a duobus medicis aut chirurgis inveſtigari, ſcriptamque ab iis opinionem, an adparentem mentis perturbationem veram, an vero ſimulatam exi-

ſtiment, dari jubeat. Si ſimulatam eſſe declaraverint; comprehenſus ictibus punitor. Pœna hæc, quousque ſimulatio duraverit, tribus diebus interjectis prævia ſemper commonitione iteranda, atque eo modo continuanda eſt, ut ictibus decem initium fiat, numerusque unaquaque vice quinque augeatur, donec ad triginta excreverit, qui, quoad comprehenſus ſimulationem deſierit, continuandi ſunt. Ubi autem medici veram eſſe ſenſuum perturbationem judicant, aut ſecundum officium ac conſcientiam nil certi deſinire audent, aut in diverſas abeunt ſententias, re ad tribunal ſuperius exacte delata, ulterior inde inſtructio præſtolanda erit. Relationi huic notationes, quæ tum judicio poenali tum carcerario in obſervando comprehenſo occurrerunt, inſeruntor.

§. 386.

Si tanta fuerit comprehenſi pertinacia ut ad propoſitas ſibi quæſtiones nil prorſus reſpondeat, ſerio de obligatione judicio reſpondendi, nec non de poena contumaciæ ſuæ imminente commonetor. Si hoc nil profecerit; eo, qui præcedenti §. de ſimulata mentis perturbatione præſcriptus eſt, modo tamdiu caſtigator, quamdiu in obſtinato ſuo ſilentio perſtiterit. Præterea talis pervicax, quoad reſponſa dederit, non niſi pane, & aqua nutritor.

§. 387.

Congrua verberum aut jejunii poena tunc quoque obtinet, cum incuſatus circumſtantiam manifeſtæ probationi contrariam adducendo inquiſitionem morari aut judicium in errorem inducere ſtuduerit, & licet manifeſta probatione refutetur, nihilo minus in mentiendo perſtiterit. Quo caſu tamen poena viginti ictus aut tridua-

num jejunium in hebdomada excedere nequit.

§. 388.

Quælibet ex præcedentibus tribus §§. irrogata punitio, adnexa caussa, in examinis protocollo accurate adnotator.

§. 389.

Prævie formatis quæstionibus eatenus duntaxat insistendum, quatenus ad data responsa aptæ fuerint. Quamprimum autem responsio novas quæstiones suppeditat, hæ apte concipiendæ & ordinandæ sunt.

§. 390.

Falsis indiciis, aut fictitiis probationibus incusatum terrere, leviorem poenam, aut impunitatem polliceri, minas, aut vim quamcumque in eum adhibere, nefas esto. Sed nec in responsis protocollo inferendis verba proprio arbitrio in alium sensum, quam qui interrogati menti, & naturali significationi convenit,

 de-

detorquere licet. Quælibet hujus generis transgreſſio gravi animadverſioni obnoxia eſto.

§. 391.

Sed nec in quæſtionibus nomen alterius tanquam complicis interrogato ſuggerere fas eſt, niſi jam adverſus talem legitima complicitatis extent indicia. Incuſatus tamen, qui jam a longiori tempore delictis deditus eſt, etiam citra peculiare conſociationis indicium generatim interrogari poterit, an non ipſi catervæ facinoroſorum, occultatores, vel alii reipublicæ pernicioſi homines noti ſint; quo deinceps in ejusmodi exitioſum hominum genus penitius inquiri poſſit.

§. 392.

Finita unaquaque examinis ſeſſione protocollum ab omnibus, qui examini interfuere, ſubſcribitor. Si protocollum pluribus foliis conſtat, cuncta folia filo, vel funiculo conjungi, ambæ fili, ſeu

fu-

funiculi extremitates cera dura, qualis ad ſigilla adhibetur, firmari debent, ſigillo præſentium deſuper impreſſo, ne folium aliquod demi, aut ſupponi poſſit. Circa incuſati ſubſcriptionem idem obſervandum, quod in examine ſummario §. 321. definitum eſt.

§. 393.

Si cuncta, in quæ ſecundum §. 357. & 358. judicium poenale inquirere oportet, exhauſta fuerint, nec ulla jam ſpes adfulget, ea, quæ deſunt, explendi, examen terminator.

§. 394.

Examine finito, examinato declarandum eſt, triduum ipſi ſupereſſe, ad perpendendum, quid adhuc in ſui defenſionem ac præſidium in medium adferre valeat. Elapſo triduo iterum audiatur, & ſi quæ momenta in ſui defenſionem, aut ad mitiorem ſententiam impetrandam protulerit, ea fideliter, ob-

ſer-

ſervatis ſuperius circa conjunctionem foliorum, atque ſubſcriptionem memoratis cautelis, examinis protocollo adnectantur. Quod hic loci præſcribitur, tunc quoque obtinet, cum tenore §. 371. proceſſus ſolo ſummario examine, & facta in eo incuſati confeſſione abſolvitur.

§. 395.

Judicium pœnale examinis protocollo id omne adjunget, quod durante inquiſitione de corporis conſtitutione ac moribus comprehenſi obſervaverat, quatenus id in ſententia ferenda, atque executioni mandanda, momenti quidquam facere poteſt. Comprehenſus denique a medico, aut chirurgo inſpiciendus, atque exacta corporalis ejus conſtitutionis, roboris item, & vitioſitatis deſcriptio actis inferenda eſt.

CA-

CAPUT VIII.

De teſtium examine.

§. 396.

Ad inquiſitionem illud præprimis pertinet, ut cuncta teſtimonia excipiantur, quæ internas æque, ac externas perpetrati delicti, adhibitorumque mediorum qualitates dilucidare, inquiſiti dicta confirmare, vel refellere, culpam, aut innocentiam ejus, tum majorem aut minorem reatus gradum docere poſſunt. Quamobrem omnes eas perſonas examinari oportet, quarum teſtimonia ad hunc finem profutura eſſe, tum ex præviis teſtium, aut ipſius incuſati examinibus, tum ex rei natura, aut ex detectis durante proceſſu veſtigiis conjicere licet. Pariter examinatus jam teſtis, cujus tamen dicta haud ſat perſpicua, vel vero in progreſ-

ſu imperfecta comperta fuerint, ad dubia examinanda ac ea, quæ deficiunt, explenda rurſus audiendus erit.

§. 397.

Unusquisque teſtis teſtimonium ſuum in judicio coram edere tenetur. Recuſantem auctoritate publica ſiſtere, pœnaque, ſeu pecuniaria, ſeu corporali ad dicendum teſtimonium compellere jus eſto. Qui ob adverſam valetudinem in judicio comparere nequit, in habitatione ſua a judicio examinandus eſt. De mutis, ſurdis, iisque teſtibus, qui non niſi linguam judicio ignotam callent, ea, quæ §. §. 378. & 379. præſcripta ſunt, obſervantor.

§. 398.

Qui eo tempore, quo teſtimonium perhibere deberent, ob corporis, vel animi ſtatum veritatem dicere nequeunt, examinandi haud ſunt.

§. 399.

§. 399.

An vero incuſati conſanguinei lineæ tum aſcendentis , tum deſcendentis , fratres , atque ſorores , conſobrini , & fratrueles , conjux item , quique primo adfinitatis gradu ei juncti ſunt, teſtimonium perhibere velint nec ne ; eorum relinquitur arbitrio. Hos equidem in caſum , quo ſponte teſtimonium præbere vellent , citare licet , attamen de legitima a teſtimonio dicendo exemtione expreſſe commonefacere, admonitionemque in protocollo adnotare neceſſe eſt. Tunc demum teſtimonium detrectare nequeunt, cum de crimine perduellionis agatur, ſpesque firma ſit , eorum teſtimonio incognitas hactenus circumſtantias comperiendi.

§. 400.

Teſtes ab illo judicio poenali examinantor , in cujus diſtrictu commorantur. Teſte in diſtrictu alterius judicii poenalis, quam cui incumbit inquiſitio , degente , illud

illud judicium a judicio inquiſitorio transmiſſis quæſtionibus ad examen teſtis inſtituendum interpellator , addita cauſſæ deſcriptione, qualis ad concipiendas novas , reſponſis teſtium adcomodandas , quæſtiones neceſſaria fuerit.

§. 401.

Sin teſtis in loco commoretur, qui ultra duo milliaria a judicii poenalis ſede diſtat, a pæfectura loci , in quo degit interrogator. Quem in finem vel ab ipſo inquirente judicio poenali , ſiquidem ejus diſtrictus eo usque porrigitur , vel hujus rogatu per aliud judicium poenale, modo in præcedenti §. adducto , interpellator.

§. 402.

Si ad dubium de perſona incuſati tollendum neceſſe fuerit , ut teſtes incuſatum videant, teſtes in eodem circulo habitantes in judicio poenali, incuſatum ſub cuſtodia habente, comparere tenen-

nentur; quodſi in alio circulo ſint, judicium pœnale rem ad tribunal ſuperius referat, quo id modum, incuſatum recognoſcendi, teſtibus minime moleſtum & inquiſitioni innocuum determinet.

§. 403.

In teſtium examine, proponendis quæſtionibus, & forma protocolli eadem ſervantor, quæ §. §. 274. 278. 280. 319. 320. 321. 378. 379. 381. & 392. præſcripta ſunt.

§. 404.

Sed & teſtium, qui durante inquiſitionis proceſſu interrogantur, de dictorum veritate juramentum, eadem ratione accipitor, quæ in prævia inveſtigatione §. 279. & 281. definitur.

§. 405.

Sequentes juramento obſtringi nequeunt: *a.*) in quos ſuſpicio cadit, ipſos auctores eſſe facinoris, de quo examinantur; *b.*) qui complices, aut partici-

pes ejusdem delicti eſſe arguuntur ; c.) qui cujusdam delicti cauſſa ſub inquiſitione aut poena ſunt ; *d.*) qui decimum quartum ætatis annum nondum expleverunt ; e.) quibus cum incuſato graves intercedunt inimicitiæ ; *f.*) qui in examine momentoſas circumſtantias comprobatæ veritati contrarias enarrarunt , quin errorem prorſus innoxium docere poſſint.

§. 406.

Teſtimonia a publicis poteſtatibus edita, vel ex libris natalibus , copulationum conjugalium , aut mortuorum deſcripta jurisjurandi vinculo firmari neceſſe non eſt. Sed teſtimonia ſingulorum officialium, utut de rebus officii edita, pari jure cum aliis teſtimoniis cenſentor. Circa artis peritos §. 267. norma eſto.

§. 407.

Si teſtes ad literas requiſitoriales examinantur , judicium poenale vel præfectura loci interpellata , exemplum proto-

col-

colli examinis, pro ſui cautione, ſibi ſervet, ipſum vero protocollum judicio poenali interpellanti transmittat.

CAPUT IX.

De confrontatione incuſati cum teſtibus.

§. 408.

Si teſtes præcipuas circumſtantias adverſus incuſatum, eas negantem, teſtati fuerint, isque non obſtante horum teſtimoniorum prælectione in §. 375. f. præcepta, in negando perſeveraverit, quin tamen teſtibus aut effatis eorum ſolidi quid obmoveat, teſtes præſentes cum eodem componuntor.

§. 409.

Confrontatio ordinarie in judicio poenali inquiſitorio inſtituenda eſt. Ubi ve-

ro teſti propter diſtantiam valde arduum foret, coram hoc judicio comparere, hac de re ad tribunal ſuperius referatur, cujus arbitratu aut indemnitas teſti præſtanda, aut comprehenſus debita cautela in alium confrontationi idoneum locum transmittendus erit.

§. 410.

Teſte propter ejusdem delicti conſortium, vel propter aliud delictum ſub alterius judicii pœnalis cuſtodia exiſtente; cum hoc judicio de teſte probe cuſtodito ſiſtendo conventor.

§. 411.

Generatim vero, ſi de confrontatione complicis inſtituenda agitur, prævia interrogatione extra dubium ponitor, eundem teſtimonium ſuum incuſato & velle & poſſe coram confirmare.

§. 412.

Ante confrontationem ipſam incuſatus rurſus monetor, ut a negando deſi-

ſtat,

ſtat, nec rem eo venire permittat, ut teſtes veritatem coram dicturi cum eo componantur.

§. 413.

Incuſato nihilo minus in negando perſtante, teſtis accerſendus, &, ſiquidem juratus fuerit, depoſiti a ſe juramenti admonendus eſt. Ut teſtis integrum ſuum teſtimonium repetat, haud neceſſe eſt; ſufficit, puncta præcipua incuſatum immediate gravantia ſigillatim in hoc examine percenſeri. De quovis a teſte confirmato puncto mox incuſatus interrogator, an aut qualitati teſtis, aut ejus effatis obmovere quid valeat. Nulla, minimum ſolida exceptione propoſita, confrontatio, dum ulla aggravans circumſtantia ſupereſt, continuator.

§. 414.

Integer confrontationis actus protocollo examinis incuſati tamquam continuatio infertor, ea ratione, ut, quæ te-

ſtis præſente incuſato palam profitetur, hicque reponit, protocollo juxta inſcribantur, & ad quodvis punctum, quomodo teſtis, quomodo incuſatus ſe geſſerit, adnotetur.

§. 415.

E pluribus teſtibus, cum incuſato componendis, nonniſi ſinguli componuntor.

CAPUT X.

De legitima probationum vi.

§. 416.

Judex finita inquiſitione ad ferendam ſententiam progreſſurus exſtantes probationes diligenter perpendito. In cauſſa dijudicanda id duntaxat pro vero habetor, quod legitime probatum fuerit.

§. 417.

§. 417.

Comprehensi innocentia legitime evicta censetor, si exstantia adversus eum indicia ita infirmata fuerint, ut nulla jam supersit dubitandi ratio.

§. 418.

E contrario propria incusati confessio, legitima imputati delicti probatio esto.

§. 419.

Confessio tamen sequentibus prædita sit requisitis: *a*) ut incusatus eam in examine apud judicium poenale protulerit, vel saltem confirmarit, & quidem *b*) in statu, quo mentis suæ plene compos fuerat; *c*) ut perspicua, atque determinata, non verbis ambiguis, aut gestibus facta sit; *d*) ut confessio non nuda propositæ quæstionis adfirmatione, verum propria incusati narratione nitatur, & *e*) cum exploratis delicti circumstantiis consentiat.

§. 420.

Hujuscemodi confeſſionis vis eo nequaquam infringitur, quod omnes facinoris circumſtantiæ, quas incuſatus confeſſus fuit, ultra perfecte inveſtigari nequeant; ſufficit, commiſſum delictum aliquo tamen modo experientia confirmari, nihilque occurrere, quod confeſſionis fidem labefactet. Si præter confeſſionem nullum omnino delicti veſtigium detegi poſſet, ſola confeſſio legitima probatio haud eſt.

§. 421.

Confeſſio contra præſcriptum legis, pollicitatione, minis, violentia, aut illicitis quibuscumque mediis elicita, tunc demum legitimam vim probandi nanciscitur, cum comprehenſus ab hisce illegitimis impulſionibus, immo & ab earum metu immunis, confeſſionem repetierit, eaque tales contineat circumſtantias, quæ cum levato corpore delicti conveni-

niunt, & comprehenſo, niſi ipſe auctor delicti foret, compertæ eſſe non poſſent.

§. 422.

Probatio per confeſſionem ſubſequa inficiatione, aut contradictione incuſati non infirmatur, niſi probabilem cauſſam falſæ confeſſionis, aut tales circumſtantias proferat, quibus exploratis prioris confeſſionis veritatem merito in dubium vocare licet.

§. 423.

Ut teſtis effatum fidem faciat, ſequentia deſiderantur: *a.)* voluntarium, ideoque nec colluſione, inſtigatione, detorſione, corruptione, præmio, nec minis, aut violentia teſti ſuggeſtum ſit; *b.)* facti, vel circumſtantiæ, cujus veritatem confirmet, perſpicuam, atque determinatam narrationem contineat; *c.)* propria, certaque teſtis ſcientia, non relatis, conjecturis, probabilitate, vel argumentationibus nitatur; *d.)* jurejurando

firmetur, *e.*) nec ex qualitate teſtis, nec ex tenore effati juſta, fidem minuens ſuſpicio oriatur; *f.*) effatum cum iis, quæ explorata fuere, eatenus certe congruat, ut ne in præcipuis circumſtantiis adpareat repugnantia.

§. 424.

Generatim ad legitimam probationem duorum teſtium effata requiruntur. Attamen *primo*: ad qualitatem facti evincendam eo in caſu, quo facti probatio alia ratione obtineri nequit, unius illius, in quem delictum commiſſum fuit, teſtimonium ſufficit. *Secundo*: quantitas damni delicto dati teſtimonio læſi, aut ejus, in cujus poteſtate res, dum violabatur, erat, legitime probatur, tametſi ſatisfactio præſtetur. *Tertio*: ad eam delicti circumſtantiarum explorationem, qua ipſa incuſati confeſſio, ut legitimam vim probandi ſortiatur, ſuf-

ful-

fulta esse debet, unius testis dicta, confessioni consentanea sufficiant.

§. 425.

Quidquid a judicio poenali, vel alia præfectura de aliquo cum inquisitione nexum habente muneris exercitio in protocollis adnotatum fuerit, legitime probatum habetor; testimonium vero unius officialis ad judicium poenale munus gerentis de circumstantiis durante inquisitione emergentibus a ceteris testimoniis omnino non differt.

§. 426.

Publica documenta, §. 406. memorata, generatim eorum, quæ continent, legitimam fidem faciunt.

§. 427.

Ubi testimonium artis periti in præsenti codice desideratur, id, quod præscripto modo testatur, legitime probatum censetor.

§. 428.

Incuſatus negans delictum vel per teſtimonia, vel per concurſum circumſtantiarum convinci poteſt.

§. 429.

Ad convictionem per teſtes requiritur, ut duo teſtes jurati, quorum uterque decimum octavum ætatis annum expleverit, immediate de ipſo delicto, ab incuſato patrato conforme, propria, certaque ſcientia innixum, & normæ §. 423. attemperatum teſtimonium perhibuerint, ſuaque effata incuſato in confrontatione coram confirmarint, quin fides eorum defenſione incuſati, aut alia in inquiſitione obveniente circumſtantia labefactetur.

§. 430.

Complicum quoque effata tunc ut teſtimonia ad legitimam incuſati convictionem valere poterunt, quando duo complices uno ore adverſus incuſatum delic-

tum

tum ab eo cum ipſis patratum teſtati fuerint, ſuaque effata non ſolum incuſato in judiciali confrontatione coram repetierint, verum etiam poſt publicatam ipſis poenalem ſententiam expreſſe iterum ea de re interrogati, confirmaverint. Præterea eorum effata *primo*, requiſitis §. 423. *a*, *b*, *c*, *e*, *f*, inſtructa ſint; *ſecundo*, in reſponſis ad tales quæſtiones, quæ ipſis de ſingularibus cum communi delicto connexis circumſtantiis propoſitæ fuerant, quasque ante comprehenſionem prævidere haud poterant, inter ſe plene conſentiant; *tertio*: quoad præcipuas complices ipſos gravantes circumſtantias directis ac perſpicuis probationibus firmentur, ita, ut judex a ſtudio partium alienus præviam colluſionem ſuſpicari, aut alia de cauſſa veritatem effatorum in dubium vocare nequeat.

§. 431.

§. 431.

Sub iisdem cautelis convictio tum quoque locum habeat, ſi præter effatum unius teſtis jurejurando confirmatum, ceterisque requiſitis §. 423. & 429. præditum, conſentiens cum eodem juxta §. 430. unius complicis effatum habetur.

§. 432.

Ad legitimam convictionem delinquentis, factum negantis, per concurſum circumſtantiarum efficiendam, ſequentia requiſita junctim deſiderantur:

I. Factum cum concomitantibus peculiaribus circumſtantiis revera accidiſſe legitime probatum ſit. Ubi itaque factum cum peculiaribus circumſtantiis probari nequit, nec convictio per concurſum circumſtantiarum locum invenit.

II. E nexu exploratarum per inquiſitionem circumſtantiarum adeo propinqua, atque perſpicua relatio inter commiſſum delictum, & incuſatum ſe prodat,

ut ſaltem ſecundum naturalem, atque conſuetum humanarum actionum curſum concipi nequeat, alteri, præterquam incuſato, tam propinquam occaſionem, eam mentem atque determinationem obtigiſſe.

III. In delictis homicidii ex inquiſitione clare adparere debet, incuſatum odium, inimicitiam, æmulationem, iram, indignationem, vel alium ejusmodi vehementem affectum adverſus occiſum foviſſe, aut ei mortem minatum fuiſſe, vel minimum mortem ejus ſordidi lucri cupidine ad obtinenda privata commoda, aut ad amovendum aliquod impedimentum exoptaſſe.

Duæ præterea ad minimum e ſequentibus circumſtantiis legitime probatæ adverſus incuſatum concurrant oportet: *a.)* ut homicidium inſtrumento patratum ſit, quo non niſi incuſatus eo tempore inſtructus erat; *b.)* ut incuſatus in loco

cæ-

cædis commiſſæ, ipſo illo tempore, quo committebatur, conſpectus fuerit, quin ullam aliam veriſimilem occupationem, aut cauſſam, ob quam ibidem adfuerit, afferre valeat; *c.)* ut cæde pervulgata absque alia probabili cauſſa fugam dederit, vel ſeſe occultaverit; *d.)* ut tempore patratæ cædis cum lethiferis, & quidem ejusmodi inſtrumentis, quibus alias uti non conſueverat, deprehenſus fuerit; *e.*) ut jam ante cædem patratam in loco quodam ab eo, qui nunc occiſus eſt, frequentari ſolito, delitescens, aut inſidias ſtruens viſus fuerit; *f.*) ut in eo, aut in ejus veſtimentis commiſſi delicti, aut perpeſſæ in hujus patratione reſiſtentiæ veſtigia detegantur; *g.*) ut quidquam eorum, quæ enecatus cædis tempore ſecum habebat, vel apud ipſum inventum, vel dum perſequentes fugeret, abjectum ab ipſo fuerit.

Si contrarium ejus, quod incuſatus ad ſui defenſionem de circumſtantiis adverſus ipſum militantibus adducit, legitime probatum, adeoque defenſio ſua manifeſte falſa fuerit; tum una quoque e memoratis hic circumſtantiis ad convictionem ſufficit.

IV. In ceteris delictis ex inquiſitione conſtare debet, incuſatum talem eſſe hominem, a quo imputatum delictum minime eſt alienum, quippe quod vel jam antehac delicti cauſſa in inquiſitionem judicialem inciderit, nec innocens declaratus fuerit; vel quod honeſtum vitæ ſuſtentandæ modum docere nequeat; vel denique quod cum notoriis delinquentibus in conſortio, ac familiari conſuetudine vixerit.

Præter hoc duæ ſaltem e ſequentibus circumſtantiis legitime probatæ incuſatum premant: *α.*) ut apud ipſum, vel in habitatione ejus, vel in aliquo, ubi res

ſuas recondere ſolet, ei acceſſibili loco inſtrumenta ad facinus comittendum apta, ipſique pro conditione, vitæque ſuſtentandæ modo plane ſupervacanea inventa fuerint; *b.*) ut apud ipſum, in habitatione ejus, vel in alio ab ipſo ad res ſuas condendas determinato loco objecta delicti, aut permanentia cujuscunque generis veſtigia reperta fuerint; *c.*) ut in locum delicti commiſſi vel ante, vel poſt facinus, vel dum illud patrabatur, irrepſerit, ibidem latitaverit, aut inde ſe ſubduxerit; *d.*) ut poſt facinus pervulgatum absque ulla alia probabili cauſſa fugam dederit, vel latuerit; *e.*) ut opificem, vel artificem de ejusmodi ſibi re conficienda interpellaverit, quæ ei ad nullum alium licitum, aut conditioni ſuæ convenientem uſum, utique vero ad perpetrandum imputatum facinus prodeſſe poterat; *f.*) ut facinoris commiſſi tentamenta, aut exercitia ſua manu facta proſtent;

ſtent; *g.*) ut forma, armis, veſtimentis prorſus idem videatur, qui ut delicti auctor ab eo, in quem admiſſum eſt, aut ab aliis deſcriptus fuerit.

Si legitime probetur, defenſionem incuſati contra obſtantia ſibi indicia falſam eſſe; in quolibet delicti genere, una e recenſitis hic circumſtantiis ad convictionem ſufficit, peræque ac id paulo ante de delicto homicidii memoratum eſt.

§. 433.

Incuſato factum quidem fatente, malum tamen propoſitum inficiante; conſiderari oportet, an ſecundum circumſtantias ex inquiſitione illucentes factum repente contigerit, an vero auctor ad id præparandum media adhibuerit, impedimenta amovere ſtuduerit. Priori in caſu exuſatio eatenus tantum admitti poterit, quatenus malum ſecundum naturalem rerum ordinem haud neceſſario ex ipſa actione ſecutum eſt. Si vero incu-

ſatus occaſionem, atque media delicti committendi præparaverit; tum mali quoque propoſiti convictus habetor; præterquam ſi ex inquiſitione peculiares adpareant circumſtantiæ, quæ apte aliam intentionem admittunt.

§. 434.

Generatim regula eſto, nullam probationem ſingillatim, ſed in connexione cum integro inquiſitionis negotio perpendendam eſſe. Cum itaque teſtimoniorum integritas perſonalibus relationibus, aut cujuscumque probationis fides contrariis explorationibus dubia redditur, tum probationis vis infringitur, & imminuta probatio legitima ultra cenſeri nequit.

CAPUT XI.

De ſententia.

§. 435.

Finita unaquaque inquiſitione, qua quis ad cauſſam de delicto dicendam in jus vocatus eſt, ſententia fertor.

§. 436.

Sententia ab eodem judicio pœnali, cui jus procedendi adverſus incuſatum competit, pronuntianda eſt.

§. 437.

Porro ſententia in judicio ad legis præſcriptum compoſito prævia debita deliberatione fertor.

§. 438.

Ad judicium ex legis præſcripto componendum conſeſſus trium ad minimum virorum, qui a tribunali ſuperiori ad mu-

nus judicis in caussis poenalibus exercendum idonei declarati fuerunt, una cum actuario requiritur.

§. 439.

Cui cum eo, de quo judicandum est, talis intercedit nexus, ob quem in caussis civilibus pro eo, vel adversus eum testis omni exceptione major haud foret, ad judicium poenale non admittitor.

§. 440.

Ad deliberationem, ferendamque sententiam quantocius progredi oportet; ideoque sententia in regula post terminatam inquisitionem intra octo dies, ubi vero inquisitio gravior, ac prolixior fuerit, intra triginta ad summum dies pronuntiator.

§. 441.

Deliberatio die profesto, ante meridiem, & in composito judicio instituitor. Votum absentis scripto transmissum haud numerator.

§. 442.

In inſtituenda deliberatione ordinem libri actorum diurnorum, de quo §. 368. mentio facta eſt, ſequi oportet. Cuncta protocolla, ceteraque ſcripta, prout in inquiſitione alia aliis ſuccreverant, integra, non in epitomen redacta, prælegunter. Aſſeſſores judicii ad continuam, exactamque attentionem tenentur, ut de re tota, religioſe conceptam, & ſolidam opinionem proferre valeant. Si in inquiſitione defectus adpareat, ob quem tute ad ſententiam ferendam progredi non liceret, ejus emendatio confeſtim curanda eſt.

§. 443.

Quilibet votum daturus perpendito, jus non arbitrio, ſed legibus determinari; earum adplicationem ad factum, perſonam, atque probationes, ſententiam efficere; innocentem nil pati, & nec cum ſonte ſeverius, ac leges decernunt, agi

debere; publicam tamen ſecuritatem, ac eadem innixam ſocietatis civilis ſalutem præprimis ſceleris punitionem depoſcere; hinc juſtitiam non minus intempeſtiva miſericordia, quam injuſta ſeveritate migrari.

§. 444.

Aſſeſſor, qui referentis munere fungitur, opinionem ſuam ſcripto præparatam in deliberatione prælegito, præſes ſuffragia perrogato. Quodlibet votum ab actuario cum adductis motivis protocollo inſcribitor. Sententia ſecundum votorum pluralitatem concipitor. Præſes uno duntaxat, & quidem poſtremo voto gaudet, quo, ſi vota paria fuerint, res deciditur. Si votis paribus præſes aliam tertiam opinionem protulerit; ſententia ſecundum eam, cui præſidis votum proxime accedit, concipitor. Quodſi opinio ejus ab utriusque partis opinione prorſus fuerit diverſa, interrogatio ſuffra-

gio-

giorum repetenda, ac ſi ne tum quidem majora prævalent, mitior ex paribus ſententia ſeligenda eſt.

§. 445.

In ſententia ſequentia capita exprimuntor:

Primo: nomen incuſati, cognomen, ac nomen ſpurium, ſcilicet, quod ei in caterva facinoroſorum, aliasve in communi vita inditum fuit;

Secundo: delictorum, de quibus judicatum fuit, denominatio, una cum determinatione, an criminalia, vel civilia delicta ſint. Denominatio ſecundum legem, paucis verbis, prætermiſſa facti deſcriptione, ita tamen concipienda, ut plures ſub communi cujusdam delicti nomine comprehenſæ ſpecies, jam ab ipſa lege a ſe invicem diſcretæ, diſtincta hac denominatione deſignentur;

Tertio: dies inſtituti cum incuſato a judicio poenali examinis, dies finitæ in-

quiſitionis, nec non latæ in eum ſententiæ;

Quarto : genuinus ſententiæ tenor, qua *a.*) incuſatus, vel innocens, vel poena dignus declaratur, aut inquiſitio tollitur, porro *b.*) indemnitas a condemnato ob delictum forſan præſtanda, aut determinatur, aut reſervatur, *c.*) refuſio denique impenſarum judicialium imponitur, aut tollitur.

§. 446.

Si judicium poenale cognoverit, incuſatum ſe plene ab indiciis purgaſſe, manifeſtam proinde eſſe ejus innocentiam, ſententia pronuntiator: eum ab imputato ipſi delicto abſolvi, atque innocentem declarari.

§. 447.

Sin ex actis inquiſitionis legitima quidem delicti ab inquiſito perpetrati probatio haud prodeat, probabilia tamen de eo ſuperſint argumenta, ſententiæ tenor

eſto

esto: inquisitionem ex legitimæ probationis defectu sublatam declarari.

§. 448.

Cum incusatus ex legitima probatione unius, vel plurium delictorum reus judicatur; poena legitimo respectu ad qualitatem facti, ejusque auctoris, tum ad aggravantes, & lenientes circumstantias habito decernitor. Sententia definitam poenæ speciem, hinc, si poena carceris irrogatur, gradum, tempus durationis, una cum adjectis fors exasperationibus, nobilitatis jacturam, aut relegationem tam perspicue exprimat, ut in poenæ executione ne minimum quidem dubium suboriri possit.

§. 449.

Poena mortis tum solum sententia irrogari potest, cum delictum, in quod lex poenam hanc statuit, adversus incusatum propria ejus confessione, vel per testes juratos legitime probatum fuerit. Delin-

quens

quens per complices delicti, vel per concurſum circumſtantiarum convictus, ultra viginti annos ad carceris pœnam non condemnator.

§. 450.

Lata pro votorum pluralitate ſententia protocollo ad verbum præſide dictante inſerenda, ab actuario confeſtim perſcribenda, & ab omnibus judicii membris ſubſcribenda eſt.

§. 451.

Si unum e ſequentibus delictis inquiſitionis fuerit objectum, ſcilicet, perduellio, ſeditio atque tumultus, vis publica, abuſus poteſtatis ſuperioris alteriusve muneris publici, adulteratio chartarum publicarum, falſa moneta, turbatio religionis, homicidium, duellum, incendium, rapina, denique ſubſidium delinquentibus præſtitum; tunc ſive de conatu, ſive de conſummatione ejusmodi delicti agatur, qualiscunque fuerit ſententia, ſem-

per

per ante publicationem tribunali ſuperiori ſubmittitor.

§. 452.

In aliis delictis condemnatio tunc demum tribunali ſuperiori prævie ſubmittenda eſt, cum ea legitima convictione incuſati negantis innixa, vel pœna ultra quinque annos decreta, aut ſi expoſitione ad infamem cataſtam, aut denique ſi ictuum caſtigatione exaſperata fuerit.

§. 453.

In caſibus, qui præcedentibus duobus §. §. continentur, præter perſcriptam ſententiam etiam liber actorum diurnorum una cum omnibus actis, & deliberationis protocollo tribunali ſuperiori transmittitor. A diſſitis judiciis pœnalibus transmiſſio per curſum publicum proximo die curanda. Dies traditionis in judicii protocollo adnotandus, & acceptum traditionis teſtimonium ſollicite adſervandum eſt.

§. 454.

§. 454.

A tribunali ſuperiori cauſſa transmiſſa ea ratione maturator, ut eodem tempore, quod ſuperius §. 440. finitum eſt, dijudicetur. Ceterum in componendo illic conſeſſu, in elaboranda relatione, in relatione ipſa, porro in deliberatione, tum in modo concludendi, ac perſcriptione exaranda præſcripta tribunalibus juſtitiæ inſtructio obſervator.

§. 455.

Tribunal ſuperius ante omnia modum procedendi quam exactiſſime examinato. Obſervatis hac in re defectibus ſubſtantialibus, qui ipſam ſententiam ferendam afficiunt; acta judicio pœnali illico remittito, eique aptam ad emendandos hoſce defectus inſtructionem dato, addito præſcripto, ut, dum acta iterum transmiſerit, declaret, an priori ſententiæ inhæreat, aut qua ratione eam mutandam judicet. In poſtremo hoc caſu mutata

ſen-

ſententia in tribunalis ſuperioris deliberationem venit.

§. 456.

Sin tribunal ſuperius levioris momenti nævos, qui naturam negotii nequidquam mutant, detexerit, tunc cauſſam ipſam dijudicato, compertos tamen nævos, ſive rem ipſam, ſive ejus morationem concernant, peculiari decreto reprehendito.

§. 457.

Transmiſſione actorum ob exceptas §. 451. delictorum ſpecies facta, tribunal ſuperius non attenta ea, quæ a judicio pœnali lata eſt, talem pronuntiato ſententiam, qualem leges, & acta exigere videntur. Liberum itaque eidem erit, judicii pœnalis ſententiam aut confirmare, aut mitigare, aut duriorem ferre. Sin judicium pœnale tribunali ſuperiori ex cauſſa §. 452. acta tradiderit; eidem haud fas eſt, illius judicii ſententiam in durio-

rem

rem mutare, ſed expendere unice, an non legitime conſideratis omnibus facti, probationum, tum aggravantibus, & lenientibus circumſtantiis juſto durius cum incuſato agatur, an porro judicii pœnalis ſententia confirmanda, aut ad quem modum mitiganda ſit.

§. 458.

In delictis perduellionis, abuſus poteſtatis ſuperioris, alteriuſve muneris publici, & chartarum publicarum adulterationis, nec ipſi tribunali ſuperiori ſententiam ſuam perſcribere licet, ſed concluſum ſupremo juſtitiæ tribunali cum omnibus actis ſubmittere, ejusque deciſionem præſtolari debet.

§. 459.

In aliis §. 451. recenſitis delictis lata a tribunali ſuperiori ſententia, ſupremo juſtitiæ tribunali tum demum erit ſubmittenda, ſi pœna mortis irrogatur, vel ſi a tribunali ſuperiori ſtatuta pœna eam, quam

quam judicium pœnale determinaverat, quinque annis excedat, vel denique ſi judicum pœnale dimiſſionem incuſati, tribunal ſuperius autem pœnam decreverit.

CAPUT XII.

De publicatione, atque executione ſententiæ.

§. 460.

Sententia foro ſuperiori haud obnoxia, citra moram publicanda eſt, atque executioni mandanda. Ubi tamen ad pœnam damnatus tempore promulgandæ ſententiæ mente captus, aut alio gravi morbo æger, vel femina condemnata prægnans fuerit; publicatio, atque executio eo usque differtor, donec mente captus rationis uſum, ægrotus ſanitatem recuperaverit, prægnans partum ediderit.

Tum ſolum etiam prægnanti damnatæ ſententia publicari, atque executioni mandari poterit, ſi prorogatio cuſtodiæ, dum partum edidiſſet, gravior ipſa poena foret.

§. 461.

Publicatio, atque executio ſententiæ tum quoque differtor, cum condemnatus *a.*) officialis publicus, *b.*) clericus, *c.*) ſtatuum provincialium, *d.*) vel matriculæ univerſitatis, aut lycæi inſcriptum membrum, *e.*) vel talis perſona fuerit, quæ a ſtatu militari ad munus civile retenta militari dignitate tranſivit. His in caſibus ſententia tribunali ſuperiori, etſi alia eam ſubmittendi cauſſa non ſubeſſet, una cum actis traditor, ut ab hoc pro perſonarum diverſitate curiæ, ad quam condemnatus ſervit, episcopo, ſtatuum provincialium collegio, univerſitati, vel lycæo, proximæ denique mi-

li-

litari præfecturæ delictum, lataque ſententia ſignificetur.

§. 462.

Accepta hac notitia officialis publicus damnatus a mox curia, ad quam ſervit, munere privandus, idque tribunali ſuperiori nunciandum, & ab hoc ſententiæ poenalis publicatio, atque executio mandanda eſt. Ceteris in caſibus §. præcedenti memoratis iis poteſtatibus, quibus ſententia ſignificatur, de ſtatus ademtione, quo damnatus cum ipſis jungitur, ſtatuere, idque tribunali ſuperiori indicare permittitur. Verumtamen reſponſo intra triginta dies non accepto tribunal ſuperius citra ulteriorem dilationem publicationem, & executionem ſententiæ poenalis curato.

§. 463.

Sententia, qua comprehenſus innocens declaratur, eidem quantocius, ideoque etiam die dominico, aut feſtivo ab

actuario ſignificanda, is porro in libertatem reſtituendus, eique ſententiæ exemplar, a judicio pœnali roboratum, edendum eſt.

§. 464.

Si inquiſitio ex defectu legitimæ probationis tollitur, incuſatus proximo die profeſto coram judicio ſiſti, ab actuario ſententia eidem prælegi, ejusque exemplar edi, isque prævia gravi admonitione dimitti debet.

§. 465.

Sententia mortis pœnam præſeferens, proximo, quo commode fieri poteſt, attamen tali die profeſto, quem nec dominicus, nec feſtus dies ſequitur, publicator. Hunc in finem in illo, ubi curia judicialis eſt, foro, cataſta erigenda, eo condemnatus, vinculis ſtrictus, comitantibus vigiliis ducendus, eidem peculiariter hunc in finem præparata epitome actorum inquiſitionis, delicti ſum-

ſummam continens, una cum ſententia ab actuario præſentibus duobus judicii pœnalis officialibus voce clara, atque diſtincta prælegenda, ſimulque condemnato ſignificandum eſt, poſtridie ſententiam executioni mandatum iri. Condemnato in curiam reducto curator animæ, quem & ipſe ſibi eligere poteſt, addendus, nec tamen promiscuus aliorum ad eum aditus concedendus eſt. Poſtero mane poena mortis executioni dator, quin ob condemnati reluctationem ſe ad mortem præparandi, aut ob prætextum imploratæ gratiæ mora indulgeatur. Sententiæ capitales, quæ in metropoli executioni dantur, una cum prælecta in publicatione epitome typis mandandæ, atque die executionis publici juris faciendæ ſunt. Cadaver ſupplicio adfecti elapſis duodecim horis penes ipſum ſupplicii locum inhumator, eodem tempore ſupplicii cataſta amovetor.

§. 466.

Aeque ſententia pœnam carceris ultra quinquennium irrogans definito die faſto condemnato in vinculis ad exſtructam ante curiam judicialem cataſtam ducto, clara voce publicator.

§. 467.

Sententia, qua poena non ultra quinquenium decernitur, a judicio pœnali in ipſa curia condemnato proximo die faſto indicitor.

§. 468.

Si ſententiæ relegatio adnexa fuerit; ipſum reditum in unam ex hisce provinciis delictum criminale eſſe, tum quæ huic delicto ex lege pœna immineat, in promulgatione declarator.

§. 469.

Si inquiſitio ex defectu legitimæ probationis tollitur, vel poena corporis afflictiva irrogatur, promulgatæ ſententiæ

ex-

exemplar cum descriptione personae, ad versus quam lata fuerat, a judicio poenali circuli capitaneo transmittitor, ut is incusati, vel condemnati notitiam habeat.

§. 470.

Sententia, qua condemnatus ad infamem catastam exponitur, vel sub initium poenae ictibus castigatur, quave stigmatis impressio cum relegatione decernitur, quoad has exasperationes statim post promulgationem executioni mandator.

§. 471.

Ad subeundam poenam corporis afflictivam, sex menses duri carceris, vel unum annum mitioris carceris non excedentem, condemnatus, in ipso judicii poenalis loco detineri potest.

§. 472.

Sin delinquens ad duri carceris poenam ultra ſex menſes, vel ad mitioris carceris poenam ultra annum condemnatus fuerit, locus poenæ ſubeundæ ſequenti diſcrimine determinator:

a.) delinquentes ob delictum perduellionis, aut adulteratarum chartarum publicarum ad poenam carceris damnati, eam in arce, ſententia peculiariter determinanda, ſubibunt;

b.) de alio quocunque delicto ultra decem annos condemnatus, ad arcem Spielberg, quæ prope Brunam in Moravia eſt, ad poenam ſubeundam deportatur;

c.) ad decem annos, vel infra condemnati poenam ſuam in univerſali domo correctoria provinciæ tolerabunt.

§. 473.

Deportatio condemnati ad locum, lege ad poenam ſubeundam deſignatum, a præ-

præfectura circulari instituitor, quin judicio poenali aliud incumbat, quam ut condemnatum ad hanc præfecturam sistat. Judicium itaque poenale, cum per §. 469. sententiam poenalem, in aliquo e locis §. 472. definitis executioni mandandam, ad præfecturam circularem transmittit, simul exquiret, quonam die condemnatus ad ulteriorem deportationem extradendus sit.

§. 474.

Si præfecturæ circularis conditio fert, ut condemnatum, dum ad locum poenæ deportetur, in custodiam recipiat, illico judicio poenali extraditionem delinquentis mandato. Sin loco ad custodiam opportuno careat, condemnatus in judicio poenali relinquendus, quantocius tamen dies extraditionis præstituendus est. In genere præfectura circularis omnem curam adhibeat, ut condemnati quantocius, ac tutissime ad poenæ lo-

locum deportentur. De neceſſario præſidio militari proximam præfecturam militarem interpellato, ſique vectura opus fuerit, de equis vehicularibus publice dandis curam habeto. Tametſi porro, quoad fieri poteſt, plures condemnati una ad poenæ locum deportandi ſint, ea tamen in re nec commoditas, nec impenſarum compendium, verum juſtitiæ adminiſtratio, & publicæ ſecuritatis cura finis præcipuus eſto. Hinc ob opinatam plurium deportandorum colluvionem vel unius condemnati deportatio haud protrahenda, ſed condemnatus intra triginta ad ſummum dies poſt publicatam ſententiam ad deſignatum poenæ locum deportandus eſt.

§. 475.

Judicium poenale ſub gravi animadverſione obligatur, ut condemnatum, donec a præfectura circulari receptus fuerit, ſub exacta, a fugæ periculo tuta, cuſto-

dia

dia teneat, eademque præcautione ad præfecturam circularem ſiſtat.

CAPUT XIII.

De recurſu.

§. 476.

Recurſus, id eſt, auxilii a tribunali ſuperiori imploratio, adverſus duplicis generis ſententias locum obtinet: *a.*) adverſus ſententias judicii poenalis, quas hoc, quin prævie tribunali ſuperiori ſubmittat, publicare, atque exequi poteſt; *b.*) adverſus eas tribunalis ſuperioris ſententias, quibus ſententia judicii pœnalis plene abſolutoria in ſublationem inquiſitionis mutata, aut ſententia pœnalis quoad pœnæ durationem, vel alio modo exaſperata fuit. Fundamentum recurſus in eo conſiſtere poteſt, quod incuſatio, atque in-

qui-

quisitio absque legitima caussa instituta sit, vel quod incusatus secundum ea, quæ de indiciis explorata fuere, innocens declarari, vel ex lege non tam severe condemnari debuisset. Adversus sententias a supremo justitiæ tribunali latas, & adversus tribunalis superioris sententias, per quas judicii pœnalis sententia modo in b. memorato, nec mutata, nec exasperata fuit, recursus haud conceditur.

§. 477.

Recursu uti possunt; *a.*) ipse condemnatus; *b.*) ejus consanguinei in linea ascendente, & descendente; *c.*) ejus conjux; *d.*) tutor; *e.*) terræ dominus pro subdito suo. Ut autem judicio pœnali constet, recursum nec a persona jure recurrendi destituta, nec sub nomine ficto exhiberi, recurrens fide digno testimonio, unam præcedentium qualitatum doceat oportet. Sed nec legitimæ hæ personæ recursum absque fundamento, aut ea tantum in-

intentione interponant, ut executio ſententiæ differatur.

§. 478.

Recurſus cauſſa actorum inquiſitionis inſpectionem nemini petere fas eſt. Ut tamen perſona recurrendi jus habens ſcire valeat, utrum ſolida recurſus fundamenta adſint, motiva latæ ſententiæ a judicio pœnali petere poteſt, quæ intra viginti quatuor horas eidem edenda ſunt. Hunc in finem tribunal ſuperius ſententiis illis, contra quas juxta §. 476. b. recurſus locum invenit, motiva ſententiæ adjungito.

§. 479.

Recurſus illico poſt publicatam ſententiam, & ante pœnæ executionem inſinuandus, ipſe vero libellus recurſus intra octiduum ſaltem judicio pœnali, a quo publicatio facta, exhibendus, præterlapſo hoc tempore autem rejiciendus eſt. A recurrentis arbitrio

pe-

pendet, utrum recurſum coram ad protocollum dictare, aut ſcripto exhibere malit. Si condemnatus ipſe recurſum interpoſuerit, eidem deſideranti vir probus, & peritus addendus, & colloquendi cum hoc, ſemper tamen præſénte judiciali perſona, & quidem lingua, quam perſona hæc callet, facultas danda eſt. Sed & défénſori huic ſub animadverſione, & pœna injungitur, ut libellum intra octiduum exhibeat. In perplexis tantum caſibus petenti terminus ad dies octo prorogator.

§. 480.

Judicium pœnale libellum recurſus, quamprimum exhibitus fuerit, vel elapſo termino recurſus inſinuationem protocollo inſcriptam cum omnibus actis tribunali ſuperiori transmittito, & in informatione adjungi ſolita rationes adducito, quibus fors recurſum refelli judicet. Pen-

den-

dente tribunalis ſuperioris deciſione, executio ſententiæ pœnalis ſuſpenditor.

§. 481.

Tribunal ſuperius recurſum & acta probe perlegito. Si cauſſæ tractatio, & ſententia lata legibus conformis reperitur, recurſum rejicere, alias vero dijudicationem legibus contrariam irritam declarare, injuſte oppreſſo indemnitatem, atque ſatisfactionem procurare, vel ſententiam ad legis normam mitigare debet. Exaſperare autem poenam occaſione interpoſiti recurſus fas non eſt.

§. 482.

Ubi recurſus adverſus tribunalis ſuperioris ſententiam interponitur; acta ſupremo juſtitiæ tribunali ſubmittenda, & ea omnia, quæ de recurſu adverſus ſententiam judicii poenalis præſcribuntur, obſervanda ſunt.

§. 483.

§. 483.

Si recursus rejectus fuerit; carcer a die publicatæ sententiæ usque ad diem, quo subsecuta de recursu decisio condemnato promulgatur, in poenæ tempus non imputatur. Si vero sententia mitigatur, tolerata tempore interjecto custodia utique imputanda est.

§. 484.

Citra remedium recursus latæ sententiæ non derogator. Ubi tamen poena irrogata quinquennium non excesserit, & durante poena nova, in ferenda sententia haud ponderata, atque talia se prodiderint momenta, quæ, si tunc cognita fuissent, ad mitigandam poenam fecissent, tribunali superiori æquam relaxationem indulgere jus & potestas esto. De poenis ad longius tempus aut supremi justitiæ tribunalis sententia decretis, nonnisi ab eodem hoc tribunali remissio impetrari potest.

CA-

CAPUT XIV.

De modo procedendi in profugos atque absentes.

§. 485.

Tametsi delicti, in cujus notitiam præfectura venit, auctor prorsus ignotus sit, vel comprehendi nequeat; nihilo secius ea cuncta, quæ tam de indagatione facti, & concurrentium ad id circumstantiarum, quam de conquirendis probandi mediis præscripta sunt, circumspici, & quæ legitime explorata sunt, judicio poenali in promtu esse debent, ut, comperto auctore delicti, usui esse possint.

§. 486.

Judicii poenalis est, nihil eorum prætermittere, quæ ad apprehendendum delicti auctorem facere possunt. Alii magistratus judicio poenali hac in re opem, atque subsidium ferunto. Ad per-

perſequendum fugitivum provocata præfectura diſtrictus ſui limitibus non coarctatur, ſed per ſe ipſa delinquentis veſtigia ad extrema usque harum provinciarum confinia perſequi poteſt, quin a præfecturis, quarum diſtrictus permeat, impediri queat; immo hæ omnes communem inter ſe operam ei hac in re præſtanto.

§. 487.

Si delinquens ex indubiis veſtigiis, ex indiciis ad comprehenſionem legitimis compertus habeatur; mandata comprehenſoria emittuntor. Cavendum tamen eſt, ne forte facinoris auctor in perſuaſione ſua, nil adhuc judicio de ſe conſtare, turbetur, atque adeo vel a revertendo deterreatur, vel ad fugam capeſſendam incitetur, vel denique ad eludendam quocunque modo percunctationem moveatur. Dum quid ſimile ſuſpicari licet, veſtigiis commorationis delinquentis clam potius continuo

in-

insisti, ac secreta præfecturarum, in quarum districtu commorari posset, provocatione, comprehensionem curari oportet.

§. 488.

Mandata comprehensoria adversus illos quoque exarantor, qui e carceribus durante inquisitione, vel e loco pœnæ evadendi media invenere.

§. 489.

In mandato comprehensorio persona, adversus quam emanat, quam distinctissime describitor. Judicium pœnale conceptum a se mandatum comprehensorium secreto præfecturæ circuli tradit, hæc autem illud illico per peculiarem sic dictam currendam, in minores districtus divisam, diu noctuque promovendam cum politicis circuli præfecturis communicat, & mandati exemplar simul ceteris provinciæ præfecturis circularibus transmittit, ut promulgatio ac divulgatio in ceteris quoque circulis curetur.

 tur.

tur. Exemplar mandati a præfectura circuli etiam tribunali ſuperiori mittitor, ut promulgatio in aliis quoque provinciis tum per harum provinciarum poteſtates politicas, tum, ſi res poſtulet, per ephemerides publicas fiat.

§. 490.

Politica præfectura acceptum mandatum comprehenſorium omnibus ſuis ad publicam vigilantiam conſtitutis officialibus, atque omnium ejusdem diſtrictus communitatum præfectis notificet, ut non ſolum ab iis ipſis congrua cura adhibeatur, verum etiam per eos unusquisque paterfamilias, ſi quæ deſcriptæ ſimilis perſona occurrerit, ad eam indicandam attentior reddatur.

§. 491.

Quæ de mandatis comprehenſoriis præcipiuntur, eadem in deſcriptione, atque promulgatione rei furtivæ aut raptæ, ſtellionatus item objecti, publicarum char-

ta-

tarum adulterationis, & falſæ monetæ obſervantor. Si deſcriptio majoris pretii objecta, aut tales res concernit, ex quarum divulgatione ſpes affulget, ipſum facinoris auctorem detegendi, aut ulterius malum prævertendi, aut denique damnum paſſo indemnitatem procurandi, promulgatio illico inſtitui poterit. At ſi de publicarum chartarum adulteratione, vel falſa moneta deſcribenda, atque promulganda agitur, res prævie ad tribunal ſuperius referenda, & ab hoc ea de re cum poteſtate politica provinciæ conveniendum eſt. Promulgatio æque ac in mandatis comprehenſoriis peragitur. Hæ deſcriptiones cuivis obligationem imponunt, objectum deſcriptum, ſimul ac de eo quidquam compererit, præfecturæ indicandi.

§. 492.

Si omnibus licet tentatis mediis delicti incuſatus deprehendi nequeat; regu-

lariter plena caussæ dijudicatio, scilicet ipsa condemnatio, eo usque, dum incusatus comprehensus fuerit, sistitor. Si tamen facinus gravi offensioni fuerit, vel ex omnimoda impunitate latius serpens malum metuendum foret, ac præterea de auctore delicti nullum supersit dubium, tunc etiam in absentem, atque profugum procedere, atque ad talem condemnationem progredi fas est, quæ aliquem tamen poenæ effectum adversus delinquentem habeat & exemplum ob oculos populi ponat.

§. 493.

Ante hujus processus institutionem, res a judicio poenali tribunali superiori submittenda, hujusque concessio petenda est. Hac impetrata absens seu profugus per edictum, ut se coram judicio sistat, citator. In edicto nomen, cognomen, conditio citati, & imputatum delictum exprimitor, addito mandato, ut intra sexagin-

ginta ſummum dies coram judicio poenali compareat, & ad incuſationem reſpondeat.

§. 494.

Citato intra terminum præfinitum non comparente, citatio ſecundo edicto repetitor. Edictum hoc præter nomen, atque conditionem citati, etiam imputati delicti præcipuas circumſtantias, ad ſeveriorem condemnationem facientes, unaque mandatum contineat, ut citatus ſe intra dies ſexaginta coram judicio poenali ſiſtat, utpote quod ſecus incuſati delicti ex confeſſione reus habendus ſit.

§. 495.

Primum, & ſecundum edictum in loco delicti commiſſi, in eo, in quo incuſatus notorie domicilabatur, in eo denique, in quo judicium poenale ſitum eſt, modo in aliis judicialibus citationibus conſueto affigitor, & ſi citatus pendente edicti termino non fuerit comprehenſus,

ſus, ſemel ſaltem quolibet menſe ephemeridibus provinciæ inſertor. Exemplar edicti tribunali ſuperiori transmittitor, ut promulgatio, in gravioribus præſertim caſibus, ubi facinoris auctorem interceptum iri multum intereſt, etiam in reliquarum provinciarum ephemeridibus, quin & in exteris regionibus procuretur.

§. 496.

Si citatus coram judicio, a quo citatus fuerat, ad primam, vel ſecundam citationem comparuerit; ordinario, lege præſcripto modo proceditor. Quod ſi coram alio ſe ſiſtat judicio; hoc eundem judicio pœnali, a quo citatus fuerat, ad legitimam cauſſæ diſcuſſionem tradito.

§. 497.

Citato ſalvum conductum petenti haud quidem promittere fas eſt, eum ab inquiſitione, a condemnatione, aut omni tempore a comprehenſione immunem fore:

Po-

Poterit tamen fide publica ſponderi, eum durante inquiſitione liberum a cuſtodia tantiſper manſurum eſſe, dum contra eum de imputato delicto, deque defenſionis infirmitate extiterint probationes legitimæ. Sed & ad hunc modum reſtrictum ſalvum conductum judicium poenale non niſi tribunalis ſuperioris auctoritate, ad quod res prævie referenda eſt, impertitor; imo & hac impetrata, judicium poenale non minus ad eas præcautiones adhibendas tenetur, quæ fugam incuſati, quatenus citra comprehenſionem fieri poteſt, præpedire valent.

§. 498.

Secundo quoque citationis termino fruſtrato, judicium poenale citatum ex iis judicato, quæ, eo licet abſente, in inſtituta inquiſitione obvenerant. In hac dijudicatione exſtantes adverſus citatum probationes ita conſiderantor, ac ſi exceptiones iis opponere, ſeque defendere nullo modo valeat, ideoque delicti

cum circumſtantiis in citatione edictali expreſſis ex confeſſione reus cenſetor. Deliberatio & ſententiæ pronunciatio ea prorſus ratione peragitor, ac ſi proceſſus adverſus delinquentem comprehenſum terminatus fuiſſet. Lata ſententia ante publicationem tribunali ſuperiori, & ab hoc addita ſua opinione ſupremo juſtitiæ tribunali ſubſternitor.

§. 499.

Lata in abſentem, aut profugum pœnalis ſententia patibulo, quod loco ad publicam pœnam exequendam deſtinato erigi oportet, tali modo affigitor, ut a prætereuntibus commode quidem legi, a nemine tamen obliterari, aut avelli poſſit. Sententia per tres continuos dies ſic affixa relinquenda, & præterea ternis vicibus ephemeridibus provinciæ inſerenda eſt.

§. 500.

Quatenus ejusmodi ſententia privationem nobilitatis decernit, & ſuperius §.

35.

35. memoratos generales effectus producit, durante quoque condemnati abſentia, executioni mandator. Profugo deprehenſo, judicium pœnale, quod edicta exaraverat, non obſtante abſentis condemnatione, cauſſam ex ordine tractato, novam ſententiam pronuntiato.

CAPUT XV.

De reaſſumenda inquiſitione ob novas circumſtantias.

§. 501.

Si adverſus incuſatum, qui ex defectu legitimarum probationum ab inquiſitione dimiſſus eſt, novæ prodierint probationes, inquiſitio denuo inſtituitor.

§. 502.

Priusquam tamen inquiſitio ob inſufficientiam probationum ſublata reaſſumatur,

tur, exploratum eſſe debet, *a.)* detectas nunc circumſtantias, ſeu probationes revera novas eſſe, easque in priori inquiſitione vel prorſus non innotuiſſe, vel tum haud ſatis dilucidari potuiſſe; *b.)* eas revera exſtare; *c.)* nova probandi media tanti ponderis eſſe, ut, rite perveſtigata, veriſimiliter incuſatum ad confeſſionem permovere, vel legitimam ejus convictionem, aut per ſe ſola aut perpenſis una prioribus probationibus efficere valeant.

§. 503.

Concurrentibus his tribus mox recenſitis requiſitis, inquiſitio cum ipſa comprehenſione incuſati reaſſumi poteſt. Sin vel unum ex his deficiat, is, qui ſublatæ inquiſitionis ſententiam, pro ſe habet, ne quidem liber a cuſtodia examinator, imo nec aliud quidquam adverſus eum inquiſitionis renovandæ cauſſa ſuſcipitor.

§. 504.

Ab eo, qui ſententia abſolutus & innocens declaratus eſt, de eodem delicto defenſio aut excuſatio nulla ratione poſcitor.

§. 505.

Sed & adverſus delinquentem, qui ad poenam condemnatus eſt, ob idem factum inquiſitio reaſſumi haud poteſt, tametſi ejusmodi emerſerint circumſtantiæ, quæ ſi ferendæ ſententiæ tempore notæ, vel probatæ fuiſſent, ſeveriorem effeciſſent ſententiam.

§. 506.

Ob delictum ante ſententiam poenalem commiſſum, ſi quidem ejusdem generis eſt ac illud, de quo jam poenalis ſententia lata fuit, tum demum condemnatus novæ inquiſitioni ſubjicitor, ſi noviter detectæ circumſtantiæ memorata §.502. requiſita habeant, & obveniens nunc delicti iteratio ita comparata ſit, ut lex regu-

gulariter decennalem ad minimum poenam ſtatuat, & tamen priori ſententia ob ignotam, vel non probatam tunc temporis iterationem, ne quinquennalis quidem poena decreta fuerit. Ob ignoratam antehac levioris delicti iterationem nova inquiſitio neutiquam ad ſeveriorem pœnam irrogandam, ſed eatenus duntaxat locum habeat, quatenus de præſtanda indemnitate agitur, cujus impetrandæ ſpes ſolida ex priorum actorum cum recens detectis circircumſtantiis comparatione concipitur.

§. 507.

Ob delictum præcedens diverſi ab eo generis, de quo prior ſententia lata fuerat, inquiſitio reaſſumitor, ſi præter nova, atque legitima indicia, *a.)* pœna irrogata anni ſpatium haud excedat, obveniens e contra recens delictum quinquennali ad minimum pœna ex lege foret vindicandum; vel *b.)* ſi in recens detectum

tum delictum mortis, aut perpetui carceris poena ſtatuta, per priorem vero ſententiam temporanea carceris pœna irrogata ſit; vel *c.)* ſi ob compertum nunc delictum damnum præſtandum, & inquiſitio veram indemnitatis impetrandæ ſpem faciat.

§. 508.

Si nova proveniunt indicia, eum, de quo ſententia jam pronuntiata eſt, delictum in ſocietate judicio hactenus incognita commiſiſſe, is inquiſitione ad detegendos complices adigi poteſt, licet vi præcedentium §§. recens patefacti delicti cauſſa nova ſententia poenalis in eum decerni non poſſit.

§. 509.

Qui ſententia innocens declaratus non eſt, & unusquisque pro eo, inquiſitionis reaſſumtionem petendi jus habet, ſi tales ſuppeditentur probationes, quæ in prio-

ri

ri inquiſitione non apparuerant, & ejus generis ſunt, ut firma ſpes affulgeat, earum dilucidatione innocentiam comprobatum iri. Pœna jam irrogata, damnatus nova ſua adminicula, & modum eorum veritatem eruendi præfecto loci pœnalis exhibeto. Hujus officium eſt, accuratum protocollum de his conficere, illudque judicio pœnali tradere, ut hoc probe perpenſis novis circumſtantiis, ſiquidem fundatas repererit, condemnatum citra moram tantiſper e pœna eximat, ſibi ſiſti faciat, & inquiſitionem inſtauret.

§. 510.

Nova inquiſitio regulariter ab illo judicio pœnali inſtituitor, quod priorem ſententiam tulerat. Huic itaque obvenientes novas circumſtantias indicari, argumenta ſuppeditari, ac eum ipſum, de quo judicatum eſt, ſiquidem pœnæ adhuc obnoxius, vel cuſtodiæ denuo mancipatus

fue-

fuerit, tradi oportet, ſin autem liber ſit, & ad probandam innocentiam ſuam ipſemet inquiſitionem inſtaurari petat, coram eodem judicio ſeſe ſiſtat. Eo tantum caſu, quo nova inquiſitio ſecundum §. 507. ob delictum diverſi ab eo generis, de quo ſententia lata fuerat, inſtituenda eſt, inquiſitionem reaſſumere illius judicii poenalis eſt, in cujus diſtrictu incuſatus nunc commoratur.

§. 511.

Qualibet reaſſumta inquiſitione, per omnes proceſſus partes, tum etiam in ferenda ſententia, exacte cuncta ea obſervanda ſunt, quæ præſenti codice in præcedentibus capitibus præſcribuntur. Super iſtiusmodi inquiſitione nova ſententia fertor. In dijudicandis probationibus novas circumſtantias cum iis, quæ in priori proceſſu obvenerant, probe conferri, atque combinari, ac ſi de poena irroganda agitur, ſententiam ita pro-

nuntiari oportet, quemadmodum ex lege ferenda fuiſſet, ſi detecta poſtea delicta, & nunc exſtantes probationes jam tempore prioris dijudicationis adparuiſſent. In decernenda tamen temporanea carceris poena, perſolutæ ex priori ſententia poenæ ratio habetor, eaque in nova irroganda remittitor.

CAPUT XVI.

De judicio ſtatario.

§. 512.

Urgente neceſſitate extraordinarius judicii ſtatarii proceſſus locum habere poteſt, qui in eo conſiſtit, ut delictum quam breviſſime inveſtigandum, reus illico condemnandus, poenaque ſtatim executioni mandanda ſit.

§. 513.

Judicium ſtatarium regulariter nonniſi in ſeditione & tumultu, & in ipſo hoc delicto tum ſolum obtinet, ſi res eo devenerit, ut ad reſtituendam tranquilitatem vi aperta uti neceſſe ſit. Sedato tumultu hic modus procedendi nec inchoari, nec inchoatus continuari poteſt.

§. 514.

Judicium ſtatarium per præfecturam circularem inſtituendum, & in loco ſeditionis habendum eſt. Eum in finem circuli capitaneus percepta genuina ſeditionis qualitate, perſpectaque judicii ſtatarii neceſſitate, *a.)* horam, qua eodem, vel ſi hoc fieri nequeat, ſequenti die eo venturus ſit, determinato; *b.)* quinque in exercenda jurisdictione pœnali probatos & re haud implicatos viros ad judicium ſtatarium denominato, unum ex iis præſidem conſtituito, actuarium adjungito; *c.)* proximam præfecturam

militarem, ut præsidium in omnem eventum judicio præsto sit, interpellato; d.) præfecturam politicam loci, ubi judicium statarium habendum est, vel ipsam, vel per delegatum officialem comparere jubeat, atque curare, ut utensilia judicio necessaria in loco ad habendum judicium idoneo in promtu sint, ut porro, si necesse fuerit, illico patibulum construi possit, denique pro hoc casu curator animae, atque carnifex adsit.

§. 515.

Unusquisque ad munus in judicio statario obeundum a præfectura circulari designatus, sepositis omnibus aliis negotiis, sub gravi animadversione, tempore præfixo, in loco determinato comparere obligatur.

§. 516.

Quamprimum cuncta rite parata fuerint, illis in plagis, ubi seditio est, tubæ,

aut

aut tympani ſono promulgator: ut, conſiſtente nunc judicio ſtatario, quisque ad pacem ſe componat, a turbulentorum congluvie ſtatim ſecedat, & juſſis ad compeſcendum tumultum editis pareat, ſecus eum, qui ultro inter tumultuoſos apprehenſus fuerit, pro ſtatarii juris rigore morte punitum iri. Poſt hanc promulgationem curandum eſt, ut illi, qui tanquam factionum duces, atque concitatores eminent, vel ſaltem inſigniter malitioſis actionibus, atque violentiis ſeveræ ſeſe pœnæ reos reddiderunt, per vigilias, quibus a præfectura circulari prudentes commiſſarii adjungendi ſunt, apprehendantur, atque coram judicio ſtatario ſiſtantur.

§. 517.

Si rapina, homicidium, aut incendia in diſtrictu quodam usque adeo invaluerint, ut proceſſus ſtatarius a ſupremo juſtitiæ tribunali ad præfecturarum relationes decretus fuerit; tribunal pœ-

nale ſuperius ordinato, ut in diſtrictu, ubi hæc delicta magis magisque graſſantia anſam præbent, hujus proceſſus comminatio publicetur. Quod ſi poſt publicationem ſimile delictum in diſtrictu rurſus commiſſum, & quiſpiam, adverſus quem legitima de tali delicto exſtant indicia, apprehenſus fuerit; quælibet præfectura id illico præfecturæ circulari indicare tenetur. Circuli capitaneus citra moram judicium ſtatarium in loco indicati delicti inſtituito, huncque in finem, quæ in §. 514. memorantur, curato.

§. 518.

In quolibet judicio ſtatario, quoad indubiam circumſtantiarum & corporis delicti explorationem, probationum conquiſitionem, harum vim legitimam, & incuſati examen, generatim eadem tenenda ſunt, quæ hoc codice in proceſſu ordinario præci-

cipiuntur. Singularia proceſſus ſtatarii hæc ſunt: *a.)* ſingula capita proceſſus ab ipſo inde primordio usque ad ejus finem coram congregato judicio ſerie non interrupta tractantur; *b.)* res omnis in eo vertitur, ut illud factum probetur, cujus vindicandi cauſſa judicium ſtatarium habetur; circumſtantias levioris momenti aut alia ab apprehenſo commiſſa delicta haud reſpici, & complicum explorationem non quidem negligi, ſententiæ tamen adverſus apprehenſum pronunciationem ejusque executionem propter complices haud retardari oportet: *c.)* ſententia in judicio ſtatario intra viginti quatuor horas a tempore, quo incuſatus comprehenſus, aut judicium ſtatarium coadunatum eſt, pronuntiari, atque executioni mandari debet.

§. 519.

Judicium ſtatarium modo procedendi & forma inquiſitionis ordinaria haud tenetur. Senior aſſeſſor collegio gradatim exponat, quid agendum, quomodo in inquiſitione procedendum arbitretur. Judicium ſtatarium poteſtatem habet, teſtem, quiscumque is fuerit, confeſtim citandi, recuſantem vi etiam judicio ſiſti faciendi, & detinendi, quamdiu ad eum, vel cum aliis teſtibus, vel cum ipſo incuſato, veritatis eruendæ cauſſa, componendum, neceſſe fuerit. Senior aſſeſſor quæſtiones proponito, & reſponſa, quibus ferenda ſententia innitatur, actuario, ut protocollo inſcribantur, dictato. In deliberatione præſes aſſeſſorum ſuffragia juxta muneris ſenium rogato, rem ſecundum vota majora, vel, ſi hæc paria fuerint, ſecundum illa vota, quibus accedendum eſſe arbitratur, decidito.

§. 520.

In judicio ſtatario poena delinquentis laqueus eſt. Illi ſolum, qui ſeditionis atque tumultus minus participes fuerant, ſi abſterrens exemplum ſupplicio unius alteriuſve e præcipuis delinquentibus obtineri queat, ad poenam corporis afflictivam §. 53. ſancitam, hoc caſu publica caſtigatione exaſperandam, condemnantor.

§. 521.

Incuſatus ſpatio viginti quatuor horarum definito nec legitime convictus, nec ſufficienter purgatus, una cum inquiſitionis actis judicio poenali legitimo ad inſtituendum adverſus eum proceſſum ordinarium traditor.

§. 522.

Sin legitima extante delicti probatione ſententia lata fuerit; citra moram publicator, ſimulque curator, ut mox in lo-

co opportunissimo patibulum construatur, atque executio statim peragatur.

§. 523.

Decreta a judicio statario laquei poena, condemnato, ut se ad mortem praeparare valeat, duas regulariter horas, ad expressam vero ejus petitionem, tertiam quoque indulgeri oportet. Ulterior retardatio locum haud invenit.

§. 524.

Adversus sententiam a judicio statario latam recursus non datur.

§. 525.

De iis, quae in judicio statario acta sunt, protocollum ex ordine conficitor, huic substantialia caussae momenta, praesertim, quae corpus delicti, atque probationes adtingunt, una cum editis in deliberatione suffragiis, lataque sententia inscribuntor, protocollum ab omnibus, qui judicio statario interfuere, subsignator, & intra triduum saltem a tempore ter-

mi-

minati ſtatarii judicii tribunali ſuperiori, ut de ſervato legitimo ordine fides fiat, transmittitor.

CAPUT XVII.

De præſtanda indemnitate, atque ſatisfactione.

§. 526.

Judicium pœnale iis, quibus delicto damnum illatum eſt, rerum ad eos pertinentium reſtitutionem ex officio procurare obligatur, ſi eæ occaſione inquiſitionis inter res delinquentis ſeu complicis delicti, vel tali in loco reperiantur, quo a delinquente ad eas duntaxat cuſtodiendas repoſitæ fuerunt. Reſtitutio hæc vel ab ipſo judicio pœnali fit, ſi res reſtituenda in manus ejus devenerit, vel ad hujus interpellationem ab illo foro, ſub cujus juriſdictione res nunc exiſtit. Judicium pœna-

nale legitima apocha rem ſuam recipientis ſibi caveto.

§. 527.

Si res aliena in manus alterius, non complicis, modo ad dominium transferendum habili, ſeu etiam pignoris titulo pervenerit; judicium pœnale operam impendito, ut poſſeſſor rem domino ſponte reſtituat; ſin hoc impetrare nequeat, domino rei poſſeſſorem indicato, quo jus ſuum legitimo modo perſequi valeat.

§. 528.

Priusquam tamen judicium pœnale petenti rem, quam delicto ſibi ſurreptam eſſe contendit, reſtituat, dominium aut detentionem probari neceſſe eſt. Si confeſſioni delinquentis jurata domini aut detentoris confeſſio acceſſerit; probatio plena erit. Deficiente delinquentis confesſione ad talem probationem ſufficit, ſi *a.)* ex inquiſitione conſtet, delictum in eum

com-

commiſſum fuiſſe, qui ſe dominum aut detentorem profitetur, *b.)* hic rem diſtincte, & talibus notis, quæ nonniſi domino aut detentori compertæ eſſe poſſunt, deſcribat, & *c.)* dicta ſua jurejurando confirmet.

§. 529.

Extante dominii aut detentionis probatione, res petita domino aut detentori illico reſtituenda, aut reſtitutio ejus procuranda eſt, tametſi inquiſitio nondum fuerit terminata. Quin immo judicium pœnale id agere tenetur, ut domini rerum in inquiſitione obvenientium quantocius detegantur, & ſuum cuique reddatur. Quare, ſi quid in inquiſitione reperiatur, quod alienum eſſe videtur, incuſatus vero dominum laudare aut nolit, aut non poſſit, ac præterea intra bimeſtre a tempore, quo delinquentis comprehenſio innotuit, nemo ſe dominum profiteatur, a judicio pœnali res hæc ita deſcribitor, ut do-

domino quidem nota reddatur, præcipuæ tamen rei notæ caracteristicæ reticeantur, quarum expoſitione domino via probandi dominii pateat.

§. 530.

Deſcriptio hæc in eo loco, in quo incuſatus commoratus eſt, vel ubi imputatum ipſi delictum commiſſum fuit, per edictum divulgator, addito juſſu, ut dominus intra anni terminum profiteatur, & jus ſuum probet; cum ſecus res deſcripta vendenda, ejusque pretium interim in judicio pœnali adſervandum ſit.

§. 531.

Nemine intra hunc terminum jus ad res deſcriptas profitente judicium pœnale curato, ut eædem a foro civili loci illius, ubi ſunt, ſub haſta vendantur, redactumque pretium ſibi tradatur. Intra legitimum præſcriptionis tempus domino, jus ſuum probanti, redactum pretium petere liberum eſto. Elapſo præſcriptionis tem-

po-

pore ærario, ex quo generatim judicii pœnalis impensæ feruntur, cedito.

§. 532.

Si res aliena ejus sit naturæ, ut citra corruptionis periculum per integrum annum conservari nequeat, vel conservatio dispendium adferat; sub hasta etiam ante hoc tempus venditor,

§. 533.

In quavis distractione rei alienæ, cujus dominus ignoratur, unaquæque res vendita in specie describi, perceptum ex ea pretium, & emtoris nomen adnotari, hæcque adnotatio ad acta inquisitionis reponi debet.

§. 534.

Licet restitutio rei alienæ procurari amplius nequiret; nihilominus tamen judicium poenale obligatur, in inquisitione ex officio investigare, quale damnum ex delicto ortum sit. In sententia tum demum de indemnitate decernito, si de

dam-

damni æſtimatione ac de perſona, cui indemnitas debeatur, ex cauſſæ tractatione perſpicue ac indubie conſtat. Hoc caſu judicium pœnale, dum ſententiam fert, de eo quoque cognoſcito, cui, & quanta indemnitas a delinquente præſtanda ſit; atque hæc cognitio ei, cui indemnitas adjudicatur, a judicio poenali traditor.

§. 535.

Talis cognitio ad ſimilitudinem alterius rei judicatæ hunc effectum habet, ut is, cui indemnitas adjudicatur, in foro civili condemnati continuo ipſam executionem petere poſſit. Hæc tamen cognitio non impedit, quo minus majorem indemnitatem petat, ſi damnum majus, quam quod pœnalis judicii cognitione determinatur, docere valeat.

§. 536.

Si judicium pœnale certo definire nequeat, cui aut quæ indemnitas ex delicto debeatur; ſententiæ pœnali inſerto,

in-

integrum eſſe per delinquentem læſis, indemnitatem jure perſequi. Hinc probationes ad hoc jus ſibi reſervatum perſequendum in judicio poenali conquirere efflagitanti, inquiſitionis acta in iis partibus, quæ ad delictum in eum commiſſum relationem habent, & ad probandum jus ſuum prodeſſe poſſunt, inſpiciendi, imo ut hæ partes ſibi deſcriptæ edantur, petendi jus eſto.

§. 537.

Satisfactio ab eo, qui delicto injuriam paſſus eſt, conſueto juris ordine petitor; eique ad hanc obtinendam finita inquiſitione, lataque ſententia probationes modo præcedenti §. memorato in judicio poenali conquirere liberum eſto.

CAPUT XVIII.

De impensis judicii pœnalis.

§. 538.

Cuncta negotia in caussis pœnalibus, in quocumque demum foro occurrant, ex officio obeuntor, quin compensatio, taxatio, vel sportula, quam quæ in præsenti codice expresse conceditur, exigi queat. Scripta in caussis pœnalibus ab usu papyri signati, & dum transmittuntur, a mercede cursus publici juxta vigentes hac de re peculiares leges immunia sunt.

§. 539.

Vecturæ ad quamcunque comprehensi deportationem necessariæ a communitatibus gratis præstantor.

§. 540.

§. 540.

Medici quoque, chirurgi, & obſtetrices in cauſſis pœnalibus relationes, ac indicationes ſuas gratis danto. Vectura tamen & victus in loco judicii non commorantibus refunditor.

§. 541.

Teſti, mercede diurna viventi, & ob citationem ad judicium eadem carenti, conſueta diurni laboris merces compenſator.

§. 542.

Singulis ad deportandum delinquentem a judicio poenali conſtitutis cuſtodibus, ſive civilis ſive militaris ſtatus fuerint, pro quovis milliari itineris ultro citroque peracti decem cruciferi præſtantor; ſi in loco aliquo cum deportato commorari debuerint, pro die integro viginti, pro dimidio decem cruciferi penduntor.

§. 543.

Interpreti, per §. 378. ad inquiſitionem arceſſito, munus ad judicium pœnale non gerenti nec in officio publico conſtituto, pro unoquoque die florenus debetur.

§. 544.

Curſoribus, qui in operis judicii pœnalis non ſunt, pro ſingulis milliaribus ultro citroque decem cruciferi ſolvuntor.

§. 545.

Carnifici, ſententiam mortis exſequenti, quindecim floreni debentur.

§. 546.

Definitæ præcedentibus §§. penſiones a judicio poenali mox præſtita opera ſolvuntor; ſalvo tamen adverſus incuſatum, ad refundendas impenſas condemnatum & ad earum ex propriis facultatibus reſarcitionem idoneum, poſt latam ſententiam regreſſu.

§. 547.

Fas quoque esto judicio poenali *a.)* a condemnato pro alimentis, in carcere per §. 335. suppeditatis, quotidie quinque cruciferos; & *b.)* pro sententia duodecim florenos exigere.

§. 548.

Incusatus innocens declaratus, etiam a refundendis impensis absolvendus est; delatorem judicium poenale eo duntaxat in casu de earum resarcitione convenire poterit, ubi delatio, quae falsa reperta est, inquisitioni ansam praebuerit.

§. 549.

Si incusatus reus declaratur, vel inquisitio ex defectu legitimarum probationum tollitur, ad impensas judicio poenali refundendas condemnator. Refusio tamen ad eum tantum modum ex patrimonio incusati sumi poterit, ut nec quaestus sui sors imminuatur, nec is ab implendo officio praestandi indemnitatem,

ſuosque alendi impediatur. Refundendarum impenſarum cauſſa exſecutio ſententiæ quoad alia capita differenda haud eſt.

§. 550.

Impenſæ ſtatarii judicii a communitate, quæ ejusdem materiam præbuit, feruntor; quorſum etiam vectura, victusque officialium, quos eidem intereſſe oportuit, pertinent. Has impenſas circuli capitaneus juſte & debita cum moderatione imputato; communitati ratione horum ſumtuum adverſus eos, qui vere ſontes fuerint, regreſſus patet.

§. 551.

Quidquid ratione impenſarum obvenerit, in librum actorum diurnorum, in qualibet inquiſitione per §. 368. concinnandum, tamquam pars ipſorum actorum exacte inſcribitor, ut judicium poenale, ultra normam præſcriptam nil imputatum, atque ſolutionem iis, quibus de-

debetur, præſtitam fuiſſe, quovis tempore docere valeat.

CAPUT XIX.

De judiciorum pœnalium et tribunalium ſuperiorum in cauſſis pœnalibus nexu.

§. 552.

Ad promovendam ſecuritatem publicam judicia poenalia arcto ſe nexu conjungere, & quam promtiſſime adjuvare debent. Præprimis autem tunc, ut inter ſe conferant, neceſſe eſt, cum ad judicium aliquod poenale perniciosus delinquens ſiſtitur, in cujus vita exploranda veſtigia occurrunt, eum jam apud aliud judicium poenale carcere detentum fuiſſe, vel cum adparet, ab alio judicio poenali indicia delicti detecta fuiſſe, quae auctorem arguunt ſimilem huic, qui nunc inquiſitioni

ſubjicitur, aut cum occurrit, alibi delicti, cujus comprehenſus incuſatur, complices, aut participes compertos fuiſſe.

§. 553.

Eodem modo judicia pœnalia pro ſitus ratione acceptum nuncium de locis, in quibus facinoroſi conveniunt, conſultant, aut commorantur, vel ubi delicti objecta, idoneaque ad id patrandum inſtrumenta aut recondunt, aut conficienda curant, vel ubi res delicto partas venales exponunt, ſibi invicem communicanto.

§. 554.

Non minus judicia pœnalia communem operam ad finem ſuum aſſequendum conferre tenentur, ſi obſervatum fuerit, in uno alterove loco, in hoc aut illo diſtrictu delicta frequentiora fieri, aut numerum delinquentium increſcere, utpote quod fors politica præfectura debitam curam prætermittat, vel præſcriptæ ad

præ-

prævertenda facinora cautiones, atque ordinationes negligantur, vel etiam peculiares circumſtantiæ occaſionem, atque facilitatem delinquendi parent.

§. 555.

Si pœnali judicio teſſeræ aut ſigna, quibus delinquentes ad ſuſcipienda delicta, aut ad ſe invicem dignoſcendos utuntur, ſi peculiares inventiones, technæ, & media, quibus maleficiorum conſummationem ſibi faciliorem reddunt, innotuerint, tum judicia pœnalia hæc ſibi mutuo ſignificanto, ut horum veſtigiorum notitia delinquentes detegere, præfecturas ad ea attentas facere, & vulgus a periculo tutum reddere valeant. Præterea peculiares ejusmodi obſervationes, ſiquidem ad impedienda delicta aut ad detegendos reos rationes ineundæ, aut ordinationes inſtituendæ fuerint, tribunali ſuperiori indicantor.

§. 556.

In his & ſimilibus caſibus judicia poenalia non unius, ejusdemque provinciæ tantum, verum ſi res poſtulet, univerſarum etiam ditionum viribus unitis ad communem finem aſſequendum tendere, informationem, atque dilucidationem ſibi mutuo impertiri, & acta, quæ præſto ſunt, ſeu authentica, ſiquidem iis carere liceat, ſeu fida eorum deſcripta exemplaria inter ſe communicare obligantur.

§. 557.

Eum in finem unumquodque judicium pænale exhibitorum protocollum habeto, cui exhibita, niſi ad præſcriptum §. 368. diurnorum actorum librum pertineant, inſcribi, & quæ deſuper acta ſunt, adnotari oportet.

§. 558.

Super actis ad regiſtraturam depoſitis judicium pœnale repertorium concipito. In hoc negotia in ſequentes claſſes diſtribuuntor: *a.)* in ea, ubi pœnali judicio commiſſa delicta denunciata fuere, quin eorum auctor innotuiſſet; *b.)* in ea, ubi judicio pœnali delinquentes vel ex nuda tantum deſcriptione, aut de nomine etiam, & conditione innotuere, quin tamen adprehendi potuerint; *c.)* in ea, ubi inquiſitio terminata & ſententia pronunciata eſt; *d.)* in ea, ubi inquiſitio aut ſententiæ pronunciatio delinquentis morte, aut fuga interrupta eſt; *e.)* in ea denique, ubi proceſſus ob complices aut participes nondum detectos adhuc pendet. Ceterum repertoria omnes circumſtantias, ex quibus judicium pœnale alterum alteri expoſitam præcedentibus §. §. auxiliarem operam præſtare poteſt, ſuccine-

cincte & continenter comprehendere, & ad ea regiſtraturæ acta, ex quibus res, ſi neceſſe fuerit, plenius cognoſci poſſit, referre debent.

§. 559.

In regiſtratura acta in ſeparatis faſciculis adſervari, & unamquamque inquiſitionem in peculiarem faſciculum redigi oportet. Reliqua ad judicium pœnale pertinentia acta pro materiarum diverſitate ſecernuntor. Quævis in faſciculo contenta pars tam numero faſciculi, ad quem pertinet, quam eo, ſub quo in eodem reponendum eſt, in dorſo ſignator. Si hujuscemodi pars actorum pluribus allegatis inſtructa fuerit, unicuique horum numerus partis, ad quam ſpectat, inſcribendus & in principali exhibito, quot allegata ad idem pertineant, adnotator. Exceptis caſibus in hoc codice expreſſis ne-

nemini acta inſpicere, aut cuidam foras dare permittitur.

§. 560.

Ut ea, quæ quæruntur, facilius inveniri poſſint, repertoriis æque ac regiſtraturæ actis accurati ordine alphabetico conficiendi indices adduntor, hisque res eadem ſub diverſis reſpectibus inſcribitor, nimirum *a.*) ſub nomine incuſati, ſeu delinquentis, cui alia, quibus delinquens forte inſigniri ſolebat, ſeu ita dicta, ſpuria nomina, & clariorem perſonæ deſcriptionem, ne ex nominum ſimilitudine error ſuboriatur, addi oportet; *b.*) ſub nomine locorum, in quibus delicta perpetrata fuere, & *c.*) ſub ipſorum delictorum denominatione.

§. 561.

§. 561.

Tribunal poenale superius ut judicia poenalia, quae in provincia suae curae demandata existunt, officium suum quam exactissime expleant, invigilato, proposita in rebus difficilioribus dubia apta institutione resolvito, judicia poenalia, quibus ab alia potestate opera subsidiaria negatur, adjuvato, ab iis, quae in officiis suis negligentia deprehenduntur, caussa cognita poenam exigito.

§. 562.

Ut tribunal superius continuam inspectionem in judicia poenalia sibi subjecta exercere valeat, unumquodque eorum singulo trimestri tabellam de omnibus a se susceptis inquisitionibus praefecturae circulari, ut haec eam ad tribunal superius promoveat, transmittere, & casu flagitante docere debet, tabellam ad ulterio-

rem

rem promotionem triduo post elapsum trimestre missam fuisse. Tabella juxta exemplar, ad finem hujus capitis adjunctum, exacte, atque fideliter concipitor. Incusati, quorum inquisitio sententia nondum finita fuerit, rursus in sequentis trimestris tabellam transcribuntor.

§. 563.

In relatione, quacum tabella submittitur, cuncta delicta ad judicium poenale delata, quorum auctores necdum comprehensi sunt, adducantur, addito ad singula, an, & quid ad delinquentem intercipiendum actum fuerit.

§. 564.

Quod si in trimestri nec delinquens comprehensus, nec delictum indicatum fuerit, id ipsum praescripto tempore referendum erit.

§. 565.

§. 565.

Tribunal ſuperius tabellas has, unacum relationibus, quibus ſubmittuntur, perlegere, ſi moram advertit, negotium urgere, vel ad penitiorem rei dilucidationem, ut rei a judicio pœnali fors minus apte ſuſceptæ tempeſtive mederi valeat, exactam informationem petere debet. Hæc tamen omnia ea cautione fieri oportet, ut ambages, inanesque ſcriptiones evitentur, inquiſitiones haud ſiſtantur, nec acta judicio neceſſaria depoſcantur.

§. 566.

Ex trimeſtribus univerſorum judiciorum pœnalium tabellis tribunal ſuperius ſub finem anni tabellam generalem juxta præſcriptum §. 562. exemplar conficito, eamque intra primos triginta dies recens inchoati cujuslibet anni ſupremo juſtitiæ tribunali ſubmittito. In adnectenda ta-

bel-

bellæ huic relatione maturo consilio adducitor, an, & quæ delictorum genera hoc anno relate ad præcedentem aucta, seu diminuta fuerint, quæ præcipuæ hujus differentiæ caussæ esse possint, an poenalia judicia suis fungantur partibus, seu in quibusnam defectus animadvertantur, additis ad emendandam justitiæ vindicativæ administrationem observationibus aptis; quo ipsum hoc tribunal supremum solidam totius rei cognitionem habeat, & quæ rei publicæ proficua sunt, procurare valeat.

§. 567.

Unumquodque judicium pœnale statis temporibus, & semel saltem in anno visitari, carceres inspici, comprehensos an debita maturatione inquirantur, & quo modo tractentur, interrogari, libros actorum diurnorum, protocolla item, atque registraturas perlustrari, præcipue vero submissarum per vices trimestres tabel-

larum exactitudinem investigari, generatim denique judiciorum poenalium agendi rationem tam in toto ambitu, quam in casibus singularibus cum legis præscripto conferri oportet. Investigatio hæc in loco, ubi tribunal superius sedem suam habet, per delegatum ab eo consiliarium instituitor, qui hac super re exactam relationem, omnes, quos adverterit, defectus adducendo, & media, quibus emendari possint, suppeditando, facere tenetur. In judiciis poenalibus remotioribus eadem investigatio per præfecturam circularem occasione præscriptæ ex ordine circuli visitationis instituitor, de hoc tamen objecto distincta a ceteris visitationis negotiis relatio facienda, & a potestate politica provinciæ tribunali superiori exhibenda est.

§. 568.

Has viſitationum relationes tribunal ſuperius debita cum attentione perpendito; ſique tales deprehendantur nævi, qui promptum requirunt remedium , aptam rationem inito ; de reliquis rebus opinionem ſuam ſupremo juſtitiæ tribunali ſubmittito, & deciſionem præſtolato.

Tabella judicii poenalis

Cracoviæ pro trimeſtri a 1. Januarii usque ad ultimam Martii 1797.

Nro.	Incuſati nomen, atque conditio.	In manus judicii traditi fuere.			Dies examinis.	Actus judicialis.
		Die	Per	Ob		
1.	Eleonora Staſikowa operarii vidua ex Trawkowice.	23. Decembris. 1796.	Præfecturam Waſilow.	Falſum.	23. 27. Decembris 1796. 2. 5. Januarii 1797.	Die octava Januarii 1797. falſi qua civilis delicti rea declarata, & ad ſex menſes ad mitiorem carceris poenam condemnata eſt.
2.	Stephanus Duda vulgo Oszukalski operarius ruſtici ex Czarkow.	10. Februarii. 1797.	Judicialem viſitationem.	Furtum, atque latrocinium.	10. 13. 18. 24. Februarii 9. 27. 28. Martii.	Cum primo 27. Martii rapinam faſſus ſit, inquiſitio ob perpetratum ſimul homicidium, tum ad detegendos complices, reſtitutionemque rei raptæ procurandam continuatur.
3.	Adalbertus Sliwkowski civicus ſutor in Sweykow.	Liber a cuſtodia.		Vulnerationem.	30. Martii 1797.	Proceſſus pendet.